


BIBLIOTECA NAZE
XXVI*
A
89
NAPOLI



MVSARVM

OTIA HONESTA

RAYMVNDI GVARINII.





NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1841.

MARINO DE PALEA
VIRO AMPLISS.
ARCHIEP. SALERNITANO
RAYMVNDVS GVARINIVS
S. D

Quod ab Aedibus tuis occasionem nacta fuerit haec τῶν ποιηματίων meorum consarcinatio, cui titulus, *Musarum otia*, iure veluti suo sibi postulat, ut eam Tibi sistam, si nomine tuo non omnino indignam censeas. Alumnis certe Ephoebei tui florentissimi utilitatis aliquid, non sine voluptate, fore allaturam, facile confido. De Te nihil est, quod commemo-

rem vulgari nuncupandi consuetudine; qui rebus, gestisque tuis multo melius commendaris, quiam ut complecti oratione ego, aut alius quivis possit. De me multo minus est, ut proloquar, cui satis est, a Te probari, amarique, cuius rei ipse tibi testis esto, caeterique, qui tui gnari me fortasse ignorant. Vale igitur, et hoc voluntatis erga te meae argumentum qualecumque aequi, bonique facito.

Dabam Neap. Postrid. Id. Nov. 1840.

LECTORI.

De titulo nil ampliandum: sat enim de se ipse praefatur. Vtrum operi respondeat, tuum erit iudicare. Quid operi occasionem praebuit, hoc est: nonnulla generis huius iam ante vulgata, quorum nunc piget. Nam quaedam operarum incuria, quaedam nostra, non satis animo placent. Haec nunc universim in melius recusa. Accedunt autem alia multo plura, quae latebant in adversariis, nec lucis publicae penitus indigna. Vix in summis rerum generibus ordo aliquis: nec enim fieri aliter poterat in tanta rerum varietate, quae hoc ipso delectare te legentem possunt, non sine utili aliqua ratione, quae ad *sacra* nostra in primis θεολογικῶς referenda. Varietatis huius studio paucula passim intermixta, quae vernaculo decurrunt idiomate. Si quid in his commendandum videbitur, adeoque imitabile, scias, ex iis per assiduam meditationem veterum libris depromptum, quos, conspiratione nonnullorum facta, de adolescentium manibus excutere, consilio pessimo, propositum est. Vale.

AMICO . QVEM . COLVI . SEMPER
INIMICO . QVEM . PROVOCAVI . NVMQVAM
NVMQVAM . LAESI
SI . VACVI . VTERQVE . ALTERVTERVE
QVI . IGNOSCAT . GRATIA
QVI . IVRE . REPREHENDERIT . OBSEQVIVM
RAY . ANG . FIL . NICOL . N . GVARIN.

MUSARUM OTIA

LIB. I.
SACRA.

IVDITH.

EXERCITATIONIS ACADEMICAE SPECIMEN.

Prolusio.

Pulcrior unde venit pulcro de corpore virtus ?
Cernitur hoc oculis ; cernitur illa animo.

EPIGRAMMA.

Quid mihi Tyndariden laudas ? Par gloria formae
Iudith : par usus non utriusque tamen.
Praetulit innocuo formam prior illa pudori :
Isti , prae forma , gloria prima pudor.
Innumeros forma patriae parat illa labores ,
Et Priami tandem perdidit imperium.
Altera forma, salus patriae , finisque malorum ,
Qua demens unus perditus Assyrius.

HOLOFERNES MINITANS.

ELEGIA.

Ergo consiliis adversa Bethulia nostris ,
Propositi constans , una resistit adhuc ?
Vnam nempe latent , quae nobis gesta , queisque
Obstupuit trepidans Solis utrumque latus (1).
NamRegem quid ego memorem, cui mille quadrigae ,
Cui centum parent agmina , mille Duces ?
Sed praestat , lectas confestim excire cohortes ,
Quarum non virtus , ira acuenda magis.
Sentiat ultorem infelix , recutitaque proles ,
Cuius mansisset tutius arbitria!
Accitique Duces : Ducibus data iussa : Duces et
Reddere militibus quam cito deproperant.
Insequitur plaususque virûm , clangorque tubarum ,
Titanasque putes bella parare Iovi.
Nutibus adrecti Ducis omnes : emicat inter
Arma manus , minitans , impatiensque morae.
Ille sed ad dextram paullo , paullo inde sinistram ,
Horrendum quassat terque , quaterque caput.

---

(1) Vid. Iudith. Cap. II. v. 12. cum integro Cap. III.

Talia dein fatur : quid o te , lectissima pubes ,
  Quid moror , o summos vel domitura Deos ?
Vel summos domitura Deos , quos fabula narrat ,
  Quos vulgi unius , quos timor esse facit.
Nabuchodonossorus qui Rex , hic et Deus idem ,
  Quem Sol exoriens , occiduusque colat (1).
Tuque Palaestinis elata Bethulia clivis ,
  Numinis Assyrii negligis imperia ?
Ferte citi arma , viri. Ne parcite caedibus. Ignes
  Caedibus addantur , funera funeribus.
Vrbi nil superet iam , praeter nomen inane ,
  Egregium vestri , perpetuumque decus.
Protinus educti castris. Sua signa , Ducemque
  Quisque suum sequitur , clamor et astra ferit.
Itur. Sed conspecta procul , despectaque cunctis
  Vrbs est , incoepti suppuduitque sui.
Haeccine , quam tanto petimus molimine rerum ,
  Dux ait ? oh! tantae tantula meta viae.
Nil opus his armis. Praecingite moenia vallo ,
  Nemo inferre ausit , nemo referre pedem.
Res peragenda fame est : famei sitis additor. Ecce
  Fons unus miseris suppetit , unde bibant (2).

(1) Iudith. Cap. 11. v. 3.

(2) Cap. VII. v. II.

*

Moenia sed praeter sunt conceptacula aquarum ,
Quos tecti inducunt eminus inde tubi.
Iam nunc interciduntor. Iussis mora nulla
Esto. Labor facilis. Quis prohibere queat?
Acta fame , furibunda siti , ignavissima turba ,
Procidet ad nostros iam moribunda pedes.
Dixerat. At summo *bu bu* de vertice tantum
Occinuit bubo, nuntia noctis avis.

VVLGI IN RE TREPIDA RVMORES VARII.

EPIGRAMMA.

Dira fames, peiorque fame sitis angit, et urget,
Impune et nostri diripiuntur agri.
Quae mens est animi? Portas quin pandimus hosti ,
Armaque subiicimus , pondus inane duci?
Hoc satius multo , quam lentae occumbere morti ,
Et longum exilium , servitiumque pati (1).

---

(1) Cap. VII. v. 16. 17.

AD DEVM DEPRECATIO.

EPIGRAMMA.

Numina non nobis aliena coluntur : at, unum
Te praeter, nobis non Deus est alius.
Adsis ergo tuis, ne nos tu desere, nostro;
Ne quando Assyrius gaudeat exitio.
Et te, quem colimus, colat exitiabilis hostis,
Vel nostrum discat quisque timere Deum.

SENIORVM ORATIO.

EPIGRAMMA.

Quod nos Assyrius non aequis impetit armis,
Recte est. Haec nostris debita criminibus.
Te tamen ille suo fremebundus provocat ore,
Inque tuum nomen probra nefanda iacit.
Iam tua res agitur : causam obliviscere nostram,
Et causam vindex ipse tuere tuam.

ACHIOR, DVX AMMONITARVM, ARBORI ADLIGATVS,

AB ASSYRIIS DESERITVR.

Nae hominum, quotquot sunt, ego infelicissimus!
Ammonitarum Dux ille ego, quem Achior
Dixere. Holofernes rogat: Quis iste Deus,
Quo tutam a suis se iam minis reputat
Gens nobis infesta diu, mihique satis,
Nec nostro sine damno, cognita saepius?
Vera narro: PRAESTAT HIC DIIS CAETERIS
VIRTVTE. QVEM NISI IRATVM HABET NATIO,
OPPVGNET FRVSTRAM, AD ARMA QVISQVIS PROVOCET.
Quod verum invitus retuli, male ille audiit,
Communique hosti insontem ecce tradi iubet
Me, quem cum gente mox ipse tota simul
Perdat Bethula ultor ipse, qui tradidit.
Hinc viaclis per vim constrictus huc pertrahor,
Suis futurus, sibique ludibrium.
Conspectis tamen Assyrii hostibus fugiunt,
Meque huic revinctum deserunt arbori (1).
Quem nisi hi hominis miserati miserrimi

(1) Cap. VII. v. 16. 17. 18.

Tempori solutum sua recipiant in moenia ,
Mox iam discerpant eheu! hinc ferae , inde alites.
Nae ego hominum , quotquot sunt , infelicissimus !

ACHIOR A BETHVLIS EXCIPITVR.

EPIGRAMMA.

Desine plura , Achior. Desertum dicere noli ,
Quem stulti nostro deseruere Deo.
Nunc age , iam liber nostrae tu moenibus Vrbis
Succedas. Nostro caetera crede Deo.

CONSILIVM

OZIAS , IVDITH , CHABRIS.

Oz. Quid tu (non etenim tibi mos) Iuditha, per umbras
Huc ades ? et te , nescio quid , sub pectore cerno
Versantem ? nostras urunt graviora medullas.
Jud. Oh ! meliora utinam...
Oz. Tibi quid nunc excidit ore ,
O nostras inter mulier lectissima , verbi ?

Curae est, afflictis patriae succurrere rebus.
Hoc agimus; lectique adeo huc convenimus omnes,
Qui populi Proceres sumus, et quos ipse vocavi.
Haec tibi de nihilo, aut intempestiva videntur?
Jud. Haec laudo, Ozia; sed non tamen ista requiro.
Chab. Haec nisi digna viris, nisi digna haec tempore tali;
Si tibi quid gravius curae est, nec nostra requiris,
Fas esto. Tu nostra sinas (res urget) agamus.
Jud. Sunt et nostra, Chabri, quae vos vestra putatis.
Haec et nos agimus; pro tempore et ista requiro.
Sed meliora opto, nostro sed nomine digna.
Chab. CIVES SERVASSE, haec sunt civis munia prima.
Hoc divina palam clamant, humanaque iura.
Non ignota loquor, nostris alienaque terris:
Iam dudum cives dura obsidione tenemur.
Saeva fames urget, nulli tolerabilis ultra.
Additur ecce sitis. Superest spes nulla salutis,
Humanae vel opis. Muris excedere, nulli
Undique circum equites fusi, peditumque manipli
Permittunt.
Jud. Video, Chabri, fateorque: quid inde?
Chab. Quinque dies et adhuc durabimus. At nisi quinta
Attulerit quid opis, portae pandentur, et hosti
Vrbs permittetur. Miseratus parserit unis

Corporibus, quos incolumes, quocunque vocarit
Sors, aut arbitrium, extorres concedat abire.
Jud. Nempe Dei sic, Chabri, nota potentia nostri,
Vt nisi quinta dies miseris opis attulerit quid,
Cesset iners, nec quidquam ausit molirier ipse!
Siccine nota Patris nobis clementia nostri (1)?
Oz. Tangunt haec animos, mulier fortissima, nostros,
Ecquid dissimulem? sed quem tamen ista suadent?
Angusto rerum quantum versamur in orbe,
Ipsa vides. Patriae, ut licuit pro tempore tali,
Consultum. In partes animum versavimus omnes.
Arent prae lacrimis oculi. Somnique, cibique
Obliti, quid factu opus est, nescire fatemur.
Et vulgi premor invidia, et res pene tumultum
Respectat. Vel quinque dies mora longa videntur
Rerum iam fessis. Ozias causa malorum
Arguor ecce palam, qui restiterim hactenus unus,
Nec blandis Holofernem induxi flectere verbis.
Sed tu, si tibi quid melius nunc mente recurrit;
Si quid forte potes divinitus, edito coram.
Qui DeusIsaci,atque Abrae, haud meminisse gravabor.
Non adeo exciderunt animo, quae tradita nobis
Patribus a nostris, et quae natis tradimus ipsi,

(1) Cap. VIII. v. 13.

Quaeque hi deinde suis tradent per secula natis.
Jud. Nescio quid dudum, Ozia, praecordia adurit,
Nec fas, excusisse ignem, quamvis prece multa
Quaesitum, et lacrimis. MENS EST, DVCEM ADIRE HOLOFERNEM.
Chabr. Quae tibi mens, mulier? mentem anne insania tollit?
Per medios hostes te, te Ducem adire Holofernem!
Quis tutam praestet per tanta pericla puellam
Oris tanto habitu, vernantem hoc flore iuventae?
Jud. Non vacat, haec animos, Chabri, infirmare rogando.
Partes hae vestrae: noctuque diuque precando,
Vos instate Deum assidui, nec parcite votis.
Expugnant vota, atque preces hominesque, Deumque,
Et quae ius negat, haud raro clementia praebet.
Partes hae vestrae, nostrae sint caetera quaevis (1).
Sed Deus, ecce Deus revocat. Ne plura. Valete.
Oz. Vade, age: divino non haec sine numine fiunt.
Nos tibi vincenti mox occursabimus omnes,
Et certi haec canimus, nec ludit amabilis error.
Nunc oraturis sacros indicere coetus,
Ne pigeat pura casto cum corpore mente.

---

(1) Cap. VIII. v. 10. 11. 12.

IVDITHAE CONSTANS FIDVCIA.

EPIGRAMMA.

Cingimur en vallo. Ventrem ieiunia mordent,
  Et procul a nostris iam prohibemur aquis.
Nil opis humanae. Haec passim per compita vulgus,
  Perque forum mussans, clamat, et ingeminat.
Hos at praeteriens paucis interrita Iudith :
  Divinam, Cives, poscere quid prohibet?
Dum gravis incedit, tecto, patriaque relictis,
  Vox audita procul : Vade, age, vince, redi.

VATICINIVM.

ODE

Tricolos-tetrastrophos.

Virtus honesti conscia pectoris
  Intaminatis claret honoribus,
    Et certa perrumpit phalanges
      In medias, referens tropaea.

Hac freta Iudith, robore dexterae
Tuta supernae, non timuit truces
Vultus tyranni, nec cohortes
Excidium in patriae procinctas.
Mortem arbitratur stare sibi lucro,
Servare cives si potis est suos.
Sin vero; honestum, nec suorum
Funeribus superesse acerbis.
Maior sed illi corda premit dolor:
Spretaeque leges, sacraque patria
Delenda prorsus quae propalam
Clamitat impius, atque iurat.
Demens! puellae ludibrium iaces,
Quod non minatur, sed propere struit
Unus, cui non par tuorum
Vis equitum, peditumque moles.
Caput nefandum turpiter omnibus
Tuo recisum promet acinace
Iudith, virili etsi non manu,
Pectore vir tamen, atque mente.
Iudith deinceps surget et altera,
Atque Holofernem conteret alterum,
Qui nunc ferox gestit, ruinam
Quod generi intulit universo.

IVDITHAE AD HOLOFERNEM PROFECTIO.

CARMEN.

Qualis ab emenso seclorum stamine surgit,
Puniceisque micat pennis rarissima phoenix;
Talis odoratis flagrans suffitibus ibat
Caesariem, niveosque sinus pulcherrima Iudith.
Apta renidebant armillis brachia; inaures
Conchis; et sua sandaliis non gratia deerat.
A capite ad talos teres omnis, tota decora (1).
Pone sequebatur Dominae vestigia servans
Ancillas inter sola, et fidissima Virgo,
Abrae cui nomen voluerunt esse parentes.
Incedit caelo talis plenissima Luna:
Sola sed haec incedit, et incomitata per umbras.
Devenere locum, miles quo castra tenebat,
Et circum late se se, de more, phalanges
Exercent alacres, bellique laboribus ante
In speciem assuescunt. Sua quisquis signa, ducesque
Observat iussis intentus, et emicat omne
Militiae robur, pugnis exercita pubes.

---

(1) Cap. X. v. 3. 4.

Crebris arva nitent armis: Sol ipse nitorem
Purior assurgens manifestius auget eundo.
Quis pugnae speciem, pugnantum et dixerit artes ?
Cominus hic instat: cunctatur at alter, et haeret.
Ille fugam simulat, nunc nunc ruiturus in hostem.
Durat hic, ille fugit: clamoribus omnia plena.
Impetitur clypeo clypeus, collesque propinquos
Incursat fremitus, refluitque per avia murmur.
Inclinant acies: iam iam cedentibus ultro
Victores instant circumfusi, agmine facto,
Praecluduntque vias cauti, invitosque morantur.
Nil bello deerat, verae nisi mortis imago.
Vidit, et obstupuit visu pulcherrima Iudith,
Lumina demittens, niveoque expalluit ore.
Nativo haud aliter decisa e caudice pallet
Seu rosa, seu viola, et frontem cum frondibus ultro
Acclinat. Perstat tamen illa, nec inde retrorsum
Stat revocare gradus. Tantos nempe addit eunti,
Qui dedit, ipse animos, viresque, et pectora firmat!
Negligit accipitres sic tuta columba strepentes,
Quam fortasse sinu fovet, attrectatque sinistra,
Cum dextra Dominus consuetas porrigit escas.
Haec inter tamen una animum male cura remordet:
Per medias acies sanctum servasse pudorem,
Guis praestet tenerae, nullo custode, puellae?

Quem latet armatae male suada licentia gentis?
Parserit haec : intacta Ducis tentoria tangam.
Quis Ducis insidias, aut vim prohibebit apertam?
Talibus haerenti regali in veste refulgens
Adstitit Aligerûm lectus de pube minister,
Incertamque animi verbis compellat amicis.
Nil horum te, te, mulier, nil tale momordit,
Cum Ducem adire,stetit. Tua nec tunc laeva fuit mens.
Distulit ille magis, qui praestat, crede monenti,
Incoepto pavidam moles praevisa pericli
Ne forte abstraheret. Ne cesses. Perge, Ducemque
Aggreditor. Comes ipse tuus nunc additus adsum,
Invisus licet, at praesens tamen. Ipse praeibo.
Quid factu est opus, et quando, te, te ipse docebo.
Vt si quem forte aestivi inclementia Solis
Attigerit florem, crispata fronte recumbens
Pendet humi. Quem si ros, insperatus et imber
Affundit, turget sensim, succoque refectus,
Attollit caput. Haud aliter generosa Virago
Divino erigitur monitu, et formidine missa,
Procedens, recta Ducis ad praetoria tendit.
Progreditur : circum sistunt hinc, inde Cohortes,
Nec via praeripitur. Dum pergit, cura cuique,
Concessisse locum. Si quo, bona, quisque rogabat?

Ne mora, ait. Propero, ut vivam, dementia nostros
Quando agit, ut patriam obdurent defendere, cives.
Pluraque porro Duci referam gratissima vestro.
Quisque stupet, repetitque oculis miracula formae,
Alternisque rogant: gentem quis spreverit istam,
In qua flos talis formae, tantusque virescit (1)?
Illa solo defixa oculos, nil talia curat.

ODE.

Tricolos-tetrastrophos.

Sic insuetum si niteat polo
Insigne cauda, vel rutila coma
Sidus: stupet vulgus, suique
Immemor, instat, et intuetur.
Nil haec retardant sidus. Et interim,
Quo sibi eundum, progreditur silens,
Certumque festinat, ut ante,
Propositam superare metam.

---

(1) Cap. X. v. 19.

IVDITH HOLOFERNEM ADIT.

CARMEN.

Nec procul a castris aberat, cum plurimus illam
Circumstat miles. Pertentant gaudia pectus,
Dum nova quisque stupet tantae spectacula formae.
Nil mortale refert. Dea creditur. Anne Diana?
An Venus ipsa magis? Veneri sed et adde pudorem!
Dicite et, o iuvenes, sic vos fortuna secundet,
Quae via, quae brevior Ducis ad tentoria ducit?
Dixit, et erubuit vultum demissa pudicum.
Olli flava apte per eburnea colla fluebat
Caesaries. Auro, gemmisque insignis, et ostro,
Mitra caput tegit. Oh! casti quae gratia vultus!
Quantus honos oculis, tumidis quae purpura labris,
Ambrosiisque genis! Flexus monstrasse viarum,
Nulli iam satis est: sequitur, vel quisque praeire,
Gestit inops animi: cohibendi nulla potestas.
Fama volat. Ducis adparent praetoria tandem,
Quo non Antiphates, non Cyclopeïa pestis
Nequior. Harpyae genuerunt, ubera Erynnis
Praebuit, alternis et deinde aluere Sorores.
Vidit, et obriguit vultu perculsa tyranni,

Vt si quem pergens horrentem forte draconem
Incurrit, cui mille angues, centumque cerastae
Circum se adglomerant, vibrantes undique linguas.
Nec tamen officio deest obsequiosa puella,
Inque genu flectens, cancellat pectore palmas,
Supplexque affatur, causas aperitque viarum.
Pauca quidem verbis, lacrimis dat caetera obortis.
Quid moror? et videt, et perit, et se dux Holofernes
Nunc hominem primo sensit, dein talia fatur (1):
Solaque tu nostros flexisti, femina, sensus,
Nec te poeniteat, nostros adiisse recessus.
Ecce patent nostrae tibi mensae, nostraque gaza (2).
Quocunque ire libet tibi, sive redire, liceto.
Hoc tantum rogo, ne nos desere: caetera quaevis
Arbitriis permissa tuis. Iam plurima secum.
Regia visa duci species, habitusque puellae,
Vel certe optasset regum de sanguine ductam,
Coniugioque inhiat. Sedet haec sententia menti.
Pompae indicta dies, et plausibus omnia laetis
Assultant. Nox praecipitat: laquearia lychnis
Collucent tremulis: epulae, mensaeque paratae.

---

(1) Cap. X. vs 17.   (2) Cap. XII. v. 1.

Nulla gulae desunt, nulla irritamina ventris.
Sed lecti, Bacchique in primis cura, liquores.
Indulget genio quisquis, Duci et omnia fausta precatur,
Sed vinci a quoquam, vel in his, sibi dux Holofernes
Turpe putat, vinoque brevi, somnoque gravatum
Excipiunt risu famuli, lectoque reponunt.
Obduntur postes: Iudith comes una relicta.
Scilicet agna lupo, milvo socianda columba!
Qualem edormierit somnum, nunc dicere restat.

VOTVM.

EPIGRAMMA.

O numquam celebrata satis, celebrandaque Iudith,
Aeternum nostri fama, decusqui soli!
Tu nostris spes una malis, tu vita, salusque,
Te, te victricem cernere quisque cupit.
En iacet Assyrius somno, vinoque sepultus.
Ipsius ad caput est ensis et ipse suus.
Arripe, ne dubites. Cervicem abscinde nefandam.
Sint procul a nostro talia monstra solo.
Laudabunt alii formam: laudabo sed ipse
Una puellaris fortia gesta manus.

IVDITHAE FACINVS.

CARMEN.

Nox ruit ; accelerant labentia sidera cursus ,
Et sua quisque silens repetit tentoria miles ,
Solaque cum solo restabat casta puella.
Toto stertit hians Holofernes ore supino ,
Si modo confertaeque dapes , vinoque refertae ,
Crapula dispelli et si quando per otia posset.
Quid faciat Iudith ? suspirans omnia lustrat ,
Et lacrimis maduere genae. Ducis obviat ensis
Suspensus muro : vagina educit ; ad auras
Librat. Tum patrum dominumque , Deumque suorum
Obsecrat , et vocem tacito sub pectore condit.
Femineas trepidasse manus , ne credito. Toto
Pondere nixa ruit , destertentemque trucidat (1).
Quid nunc consilii capiat , iam caede patrata ?
Vel quos consilii in partem incomitata vocarit ?
Suppetit hoc idem menti , qui robora dextrae
Suppetiit. Defendat , ait , tentoria truncus,
Servet castra ; caput servet modo moenia nostra.

---

(1) Cap. XIII. v. 6. et seqq.

Dixerat, et dicto citius caput abscidit ense,
Colligit, et calido perfusum sanguine, bysso
Implicuit multo, puraque in sindone condit.
Tum calatho inclusum, quod ferre, referre solebat,
Dum comitatur heram, tremebundae tradidit Abrae,
Haec addens: animis, nunc, Abra, et pectore firmo
Est opus. In manibus rerum iam maxima summa est.
Quod reliquum, nihil est. Tu ne modo iussa recuses.
Tolle caput calatho clausum, et vestigia nostra,
Vt tibi mos, serva. Iussis mora nulla: onus Abra
Iam subit invisum. Exosis excedere castris,
Adventare urbem, cives exsolvere curis,
Est utrique animus. Medias, de more, catervas
Pervadunt tacitae. Quo, vel cur? nemo requirit.
Quippe novi nihil, aut mentem fiducia tollit.
Festinant: sudor talos iam manat ad imos.
Iamque tenent portas, coeunt proceresque vocati.
Expedit illa caput: rem paucis ordine pandit.
Vix oculis credunt: concreti sanguine crines,
Squalens barba, truces oculi, vel morte minaces.

IVDITHAE IMPERIO ACHIOR ACCITVR.

ACHIOR, OZIAS, IVDITH.

Ach. En adsum, Ozia. Et metuo, quid adesse, iubetis.
Tristius anne aliud saevo contingit ab hoste?
Quod capiti ipse meo, vestro si parserit, opto.
Oz. Nil tale est, Achior. Mulier te iussit adesse.
Te manet; ipsam audi:
Jud. Assyrius tibi de facie Dux
Cognitus est Achior?
Ach. Si me dempseris ipsum,
Nil notum fortasse magis.
Jud. Tibi hic ille videtur?
Respice..
Ach. Vix oculis credo, nam membra rigescunt
Omnia, vix credo ipse meis!. Caput hoc Holofernis,
Assyrii Ducis.. unde illud?
Jud. Mihi tradidit ille,
Cui te deseruit nostra cum gente necandum
Derisor salsus, quod te meminisse, suave est,
Nec te porro, Achior, credam, meminisse pigebit.
Ach. Hoc Ducis, hoc caput? abstulit hoc tua dextera, Iudith?
Vester hic ille Deus, quem saepius audio, Iudith,

Vestra per ora cani ?.. Pudor est, agnoscere sero !
Sed me deficiunt vires ! caligine nutant
Lumina : tremor insuetus iam membra resolvit. .
Oz. At relevate virum. Sopor est brevis.. Ecce revixit.
Ach. Externum licet, advolvi me, femina, plantis
Iam sinito ipsa tuis, votisque adsuesse vocari.
Clara Dei soboles, unius o inclita cultrix,
Qui Deus est verax ! gentis tu gloria nostrae,
Si me nunc genti fas est adiungere vestrae.
Oz. Qui tuus est auctor, qui condidit omnia, hic idem
Et noster : cur non Deus unus utrisque colendus ?
Laetitiae consors, qui consors ante pericli,
Noster es. Vrbs patet, et gens, et sacra denique nostra.
Praeteritа oblitus, dein te nostrum esse, memento.
Ach. Haec mihi prima dies. Nunc demum vivere coepi.

EPIGRAMMA.

Feminea cecidit confossus Sisara dextra,
Quo, Baraci spreto nomine, nota Jahel.
Feminea et cecidit dextra nunc Assyrius Dux,
Judithae nomen clarius unde sonat.
Scilicet Hebraeis concessum sorte puellis,
Paucis vel summos edomuisse Duces.

CAPVT HOLOFERNIS PRO MOENIBVS EXPOSITVM.

CARMEN.

Protinus infixum conto pro moenibus urbis
Iam Ducis adparet caput, unâ civibus, unâ
Conspicuum et castris. Ruit ad praetoria miles,
Et Ducis incurrit bustum, miserabile visu!
Qualis utrimque statim rerum conversio facta!
Hac fugit hostis: sed quo? prae formidine, nescit.
At parte ex alia festis clamoribus omnes
Exultant cives, reclusisque undique portis,
Qua sibi sorte datum, ruit, et fugientibus acer
Instat, iam certus nulli comparcere caedi.
Omnibus idem animus, sceleratam perdere gentem,
Et vires, animosque altis de moenibus addunt
Plaudentes longe pueri, innuptaeque puellae,
Et queis aetate, aut sexu pugnare, negatum.
Succedunt aliis alii nullo ordine; quique
Ante metu colles, et qui praerupta locorum
Armati tenuere, ruunt simul ocyus omnes,
Seque suis addunt praedae, cladisque sodales.
Quis fando incensos currus, direptaque castra,
Incertos et equos, nullo rectore, per agros,

Armaque cum clypeis passim proiecta, penumque
Belli omnem, et defuncta virûm quis corpora dicat(1)?
Non aliter, cum saevit hiems, super additur imber
Imbribus: increscunt amnes, arvisque, virisque
Pernicies, pecorique lues, pecudumque magistris.
Sed satis irarum. Sat sanguinis hactenus. Armos
Praeda gravat, fessique omnes. De montibus altis
Longior umbra cadit: nil tutum in nocte: timoris
Omnia plena. Vrbem idcirco, notosque Penates
Vt repetant, melior ducibus sententia visa.

TRIVMPHVS.

CARMEN.

Hic nova iam rerum facies, diversaque prorsus
Afficiunt animos laetis spectacula formis.
Discurrunt plausus inter, festasque choreas
Immixti pueri senibus, viduisque maritae,
Ingeminant et io passim; ferit aethera plausus.
Atria Iuditham resonant, aditusque viarum,
Iuditham repetunt colles, vallesque profundae,
Vna per ora volat Iudith, dux femina facti (2).

---

(1) Cap. XV. v. 6. 7.

(2) Cap. XV. v. 10.

Ecce autem Ozias candenti in veste refulgens,
Qui populi princeps, cunctis pietate praeibat.
Quamvis ille senex, quamvis labefactus et annis,
Aegre procedat, maior, similisque Deorum,
Visa viri species. Visu stupet inscia turba,
Circumstantque senem, iamque omnis pendet ab illo.
Restitit is, lacrimaeque genas, et pectus honestum
Afflabant, teneras ut ros gratissimus herbas.
Et vix ille sui tanta inter gaudia compos,
Talia vix summis potis est efferre labellis.
Pacis amans Deus est, pacem veneremur et omnes.
Ah! pereant, qui bella volunt, alienaque lucro
Damna sibi adponunt, famamque in sanguine quaerunt.
Donec erit Moses, Lex, et sacra manebunt,
Sancta haec esto dies, totaque a gente colenda (1)
Sic ait, et populo senior praeit ipse sequaci,
Grates, ut par est, domino, promissaque vota
Rite soluturus, Princeps cum plebe fideli.
Laetitiae cumulus Ioachim: nam maximus Vrbis
Reginae, et gentis Princeps, summusque Sacerdos,
Pontificum, per iter longum, comitante Senatu,
Iudilham plausus inter laetosque Bethulos
Visere festinat, meritos et reddere honores.

---

(1) Cap. XVI. v. ult.

TIBI GLORIA, DEVS ISRAEL.

EPIGRAMMA.

Tu Deus Isâci, atque Abrae: tibi gloria soli.
Te sine, nec vires, arma nec ulla valent.
Si gratum, nostris cessisse e finibus hostes,
Gratius, invitos te didicisse Deum.

SPOLIA OPIMA
TENTORI. HOLOFERNIS
DVCIS. ASSYRIORVM
QVIQVID. ARGENTI. EST
AVRI. LAPIDISQ. PRETIOSI
TIBI. IVDITH
ORDO. POPVLVSQ. BETHVL.
NOMINIS. PERENNITATEM
NATIO. HEBRAEOR. VNIVERSA
CAETERA. PRO. MERITIS
MVNERA. DIGNA. TVIS
DEVS. ISRAEL

DEIPARAE NVNTIVS.

EPIGRAMMA.

Angelus humano quod corpore cernitur, ecce
Demittit trepidans lumina Virgo sua.
Angelico videatur homo si corpore, vultus
Posthac attollet casta puella suos?

EVA, E MARIA.

SONETTO.

Maligno Drago ad un bel tronco avvolto
Di fatal pianta, in lusinghieri accenti
L' infido labbro scioglie, e gli occhi intenti
Donna in lui tien sicura e lieta in volto.
Ben da questa diversa, in se raccolto
Il core umile e 'l viso, agl' innocenti
Detti di un Angel trema, e sospir lenti
Move altra Donna, e molto pensa e molto.
Scordò colei se stessa al varco estremo
Di promesse gradite al suon non vero.
Donna, del tuo fidar oh! quanto io temo!
Costei rammenta l' esser suo primiero,
È trema al pondo dell' onor supremo.
Donna, del tuo temer oh! quanto io spero!

MATER VIRGO AD ELISABETH PERGIT

ELEGIA.

Nunc agite, o Socii, Dominam comitemur euntem;
Et nos Hebronis, nos iuga sancta vocant.
Et sit longa licet via, sit non trita; sequendi
Haec tamen incensum ne minuant studium.
Spargite humum casia, molles et sternite flores,
Ne laedat teneros semita dura pedes.
Vos hiemem, Zephyri, rigidam mulcete tepentes,
Algida ne dias torreat aura genas.
Et tenera est, tantoque insueta labori,
Et virgo, et mater virgine ventre gerit.
Et bene processum. Haec Hebronis moenia. Quali
Moenia ab hospitio concelebranda patent!
Liminaque adparent vicina sororis Elisae,
Limina muneribus quot cumulanda novis!
Vix ea se credit pedibus male firma senecta,
Et nullo thalami foenure vincla tulit.
Nunc gravis incedit, sexto et sub mense laborat,
Matris et in gremio subsilit ecce puer.
Quamvis ille puer, clauso de carcere sensit
Adventum, Virgo, sensit et ille tuum.
Virgineo sensit claustro mirabile Verbum,
Cuius et exultans occupat ire vias.

Et gestit prodire novus, properatque, paterni
Depositis iam iam criminis exuviis.
Et quas ille potest, tanto pro munere, grates
Solvit, et in Domini prosilit obsequium.
Numine quo pariter fervens iam mater Elisa,
Occurrit Dominae protinus ipsa suae.
Tuque Soror nostros, ait, invisura Penates,
Vt tam longinqua de regione venis?
Plena Deo, quali nostram dignaris honore
De te nil meritam, conspicuamve domum?
Atque equidem sensit nostra puer abditus alvo,
Et sensi mater, subsiliisse sinu.
O matres inter salve pulcherrima mater,
O felix salve virginitate parens!
Nec minus et Domini contenta ancilla vocari,
Diva parens studio certat, et officiis.
Vni accepta refert, humili quae magna potenter
Contulit ancillae, qui Deus, atque Pater.
Ille bonis humiles implet, reiicitque superbos,
Quorum vota dedit diripienda Notis.
Gentibus idcirco dicendam iure beatam
Se canit, humanum qua genus omne patet.
Pollicitumque canit Patribus per secula nomen,
Clarius unde Abrae nomen in ora sonet.

NATALIS DOMINICVS

CARMEN.

Divinos ortus, summi incunabula Regis
Dicere, fert animus. Vatem, paritura Virago,
Tu rege, Diva, tuum, si virginitatis honores,
Si materna tuum tangunt et gaudia pectus.
Tu mihi, Diva, refer, summas quid linquere sedes,
Et Patris amplexus, aeternaque gaudia, Verbum
Impulerit, dicique hominem, et mortalia ferre
Membra Deum. Generis modo tantane gloria nostri?
Hortus erat, medio positus telluris in orbe;
Quem dixere Eden. Non illum aut Syrius urit,
Aut gelidis durat frigens Aquilonibus Vrsa.
Irrigui hac illac leni cum murmure rivi
Discurrunt. Medius late plenissimus alveus
Aestuat, unde Phison, Gebon, Eufratesque, Tigrisque,
Quattuor e plenis exundant cornibus amnes.
Non illuc valido tellus sulcatur aratro,
Aut infercitur stabulo, stipulisque subactis.
Sponte sua, laxatque sinum genitalibus auris,

Concipit, et nulla concredita semina dextra
Maturat. Pendent ramis declivibus uvae,
Iungere quin vites ulmis sit cura maritas.
Hic narcissus hiat, violaeque, et lilia, et iris,
Halantesque rosae, et luteoli hyacinthi,
Dum ramos inter blandis concentibus auras
Demulcent pictae per amoena vireta volucres.
Lanigerumque una pecus, immixtaeque capellae
Pastae et cum tauris, nullo custode, iuvencae,
(Nec metus a raptore Lupo, rabidove Leone)
Vbera securae passim distenta vagantur.
Haec olim sedes patribus laetissima nostris,
Quam coleret nunc aeger homo, nî laeva fuisset
Mens, et culpae expers, et cura liber ab omni.
His super afflabat laetabilis aura favonî,
Caelicolûm et nullo placidi non tempore vultus
Praeterea augebant pacem, et purissima vitae
Gaudia. Sed postquam fatali inlectus ab esca
Exhausit vetitumque nefas, nocituraque poma,
Protinus inversae rerum facies. Tonat horrens
Parte ab utraque polus, nimboque, et fulgure saevus
Incumbit misero, dulcique excedere sede
Compellit lacrimas inter, serumque pudorem.
Quid memorem porro casus, tristesque ruinas,

Quaeque genus fuerant longum domitura per aevum ?
Tum primo caelique minas, terraeque labores,
Et maris insani didicit pallere procellas.
Et didicit fraudes, herbas didicitque nocentes,
Et bella, et clades alterno sanguine notas.
Hinc timor, anxietas, iraeque, et saucius, imo
Corde calente, dolor. Filices, loliumque, rubique
Fallere tunc primum agricolae spes, laetaque vota.
Hinc labor, et male suada fames, hinc turpis egestas,
Quam pudor, et sordes semper comitantur euntem.
Sed revocant animum generis nova crimina, ab ipso
Diducta in peius, veluti mala germina, primo.
Quandoquidem ut puri nativo e gurgite primum
Desiliunt rivi : sed prima ab origine sensim
Errantes, et aquis passim communibus aucti,
Seu quas foeda palus limosa ructat ab alvo,
Tanto sordescunt, quantum de fonte recedunt;
Haud secus aeger homo, divino e lumine postquam
Divertit, genus unde suum, mox coeca cupido
Ingruit, obscoenaque aciem caligine texit.
Quod vetitum inde nefas, quod non mortalibus ausum?
Cognato primum saevitum in sanguine. Foeda
Continuo obduxit mentem, brutisque libido
Aequavit, nusquam contenta lacessere caelum.

Profueratque, scelus delesse ultricibus undis,
Cum genus aequoreum celsis in montibus haesit,
Arctaque spes generis tota est unius in arca.
Sed vix dum caelo licuit gaudere sereno,
Nec dum animo exciderant fluctus, et tristia damna;
Labitur in peius longe vitiosior aetas.
Talis ab aggeribus victis rapidissimus amnis
Acrior erumpens, circum sine lege vagatur,
Pernicies, eheu! pecorique, satisque, virisque.
Principio Solem, et Lunam, fulgentiaque Astra
Suspexit, vetitosque ipsis indixit honores.
Quid deinde aut adeo foedum, dictuque nefandum,
Cui non divinos amens sancivit honores?
Et pudet, aelurum meminisse, canemque, bovemque,
Et murem exiguum, porrum, cepasque nocentes,
Quaeque nefas dici, et quae mens aversa refugit.
Quin etiam sceleri, posito velamine tandem,
Et quaesitus honor, non una licentia tantum.
Numen quippe suum cuique; et sua sacra cuique.
Sic lasciva Venus, sic et Gradivus adulter,
Luxuriae quaesita hominum tutela decora.
Praesidiumque potens aderat furtoque, dolisque,
Qui cultus hominum silvestres more palestrae,
Blanda et voce, catus finxit Cyllenius Hermes.

Et caedes, et bella ferox Bellona fovebet,
Et soror, atque comes Marti sociata tremendo.
De Iove quid referam, divumque, hominumque parente?
A Iove, ne dubites, facinus quodcumque placebit,
A Iove praesidium, exemplar quodcumque paratum.
Hos inter mortale genus casusque, tenebrasque
Errabat, fracta veluti trabe, naufragus exspes.
Divini interea consors quae luminis, aura,
Qua brutis homines una praestare putantur,
Incerta miseris nequidquam luce refulgens,
Linquebat terram, et caelum indignata petebat.
Non tulit hanc speciem, aetherea qui immotus ab arce
Metitur rerumque modos, et tempora certa,
Humanasque vices, animoque misertus amico est.
Mentem nempe subit caelestis origo, vetusque
Gentis honos, foedusque ictum, promissaque regna,
Caelicolûmque olim desertae crimine sedes.
Anguis ad haec Stygii notae fraudesque, dolique,
Gentis et exitio numquam non prona voluntas.
Interea haec secum: aeternum his periturus in umbris
Deget homo, et nostrae in terris oblivio famae
Aeternum stabit, nullos delenda per annos?
Ibit ad haec tumidus serpens, atque ibit inultus,
Tantorum ille opifex serpens, structorque malorum?

Non equidem haec animo steterat sententia, iam tum
Cum neque Sol tenebras, nec truderet aethera ventus,
Sed circum nox obrueret, nox horrida tantum,
Immotum nihil, immensos sine corpore tractus.
Hactenus haec. Anguis nunc stat turgentia colla
Frangere. Stat generis veteres reparare ruinas.
Dixerat, et dia selectum e pube ministrum,
Iordanem iuxta, surgit qua Nazara tellus,
Continuo properare iubet pernicibus alis.
Aeternum hic casto sub pectore Virgo pudoris
Propositum servat, sanctos et sola Penates
Turbam exosa colit. Tantum caelestibus auris,
Et qua Sol oritur, et qua caput aequore condit,
Ore immota inhiat, plenisque sitim haustibus explet.
Hanc Pater admonuit Iessaeo e palmite virgam,
Quae ferat optatum terris pulcherrima florem.
Hanc vellus, quod humo circum sitiente, rigabat
In totum ros; ros tenerae gratissimus herbae.
Hanc, quae conciperet virgo, pareretque virago,
Felix virginitate parens, et prole virago,
Vna salus generis promissa ab origine mundi.
Nec mora. Demissis quantocyor aliger alis,
Aethera perrumpt liquidum, et cava nubila findit.
Non illum venti, nullae tenuere procellae,

Nazarias donec sedes, signataque venit
Limina. Divini panduntur ab ordine sensus:
Imperia accepta, imperiis atque addita dona,
Qualia digna Deo, divina dignaque Matre.
Hoc opus, iste labor, volucrisque ea cura ministri.
Quamquam virgineos primum pepulisse timores,
Atque insueta virûm flexisse affatibus ora,
Non ea caelestis, non ultima gloria alumni.
Protinus aeternum pervadit viscera Verbum,
Omnipotens Verbum, magni Genitoris imago,
Et decor, et virtus, et ineluctabile Verbum,
Virgineaque infans, mirum! concluditur aula.
Illa intacta sui miratur claustra pudoris,
Concepto et sensim concrescere numine ventrem.
Nec secus intacto bullam velamine complet
Spiritus intus alens. Alit, at circumfluus aer
Comprimit, inclusasque vetat displodere vires.
Nonaque iam caelo surgens argentea Luna
Virginei fructus sat maturaverat alvi.
Tum Pater Augustus, parta tellure, marique
Pace, suas iterum Iano concluserat aedes.
Inde omnem late populum, et quos maxima tellus
Mater alit, quos et complectitur Amphitrite,
Describi caput omne iubet, censumque referri.

Ibat ad haec censu prope iam paritura virago,
Praeque ibat senior Ioseph, qua parvula surgit
Bethlem, Iudae inter noti vix nominis urbes.
At quales nunc, Diva, iubes conscendere montes
Insuetum, fessumque viae? tu dirige gressus,
Optatas et da, Virgo, contingere metas,
Limine cui labor est omnis devotus ab ipso.
Ergo cum nigris iret subvecta quadrigis
Pallida nox, medioque silens consisteret axe,
Antrum informe, ingens, unâ tenuere. Sed antro
Incumbit cautes, ululis quae cognita sedes,
Noctivagis tantum et bubonibus ardua cautes.
Hospitii comites antro stabulantur eodem,
Hinc bos accumbens, hinc tardae mentis asellus.
Fulgentem videas Phoeben, rutilantiaque astra
Fulgore aucta novo, pallentem extrudere noctem.
Et nova visa etiam discurrere sidera caelo,
Auditique procul cantus, caelestia Divum
Pabula, plaususque ingentes, festaeque choreae.
Inde omnem late, libratis desuper alis,
Demissam aligerûm longe considere pubem.
At Mater, non haec ultra mortalis, et ultra
Immensum aethereas Superûm volucerrima mentes
Praevecta, haud fandos agitat sub pectore sensus.

Qua sedet ignito lucis circumdatus orbe,
Complexus lucem ipse suam, regnator Olympi,
Caelicolûm quem mille colunt, quem mille phalanges,
Hac animi secura sui intemerata puella
Transilit, olli inhians et liquitur omnis.
Haud secus impatiens optatae lucis amore
Papilio hac illac agitur trepidantibus alis,
Praecipitique dein lapsu ruit omnis in illam.
Ecce autem ante pedes, casti sine labe pudoris
(Non dolor hic ullus, non feminei ululatus)
Matris dulce decus, magnum Patris incrementum!
Talia inoffenso desudant cortice tura,
Quae Sol Panchaeis oriens maturat in oris.
Et vitrum talis tenuissima permeat aethra:
Permeat aethra vitrum, vitrum nec laeditur aethra.
Impiger obsequio procumbit tardus humi bos,
Nec minus obsequii satagens procumbit asellus,
Et Regem, Dominumque suum veneratur uterque.
Sed nudum aspiciens mater dulcissima natum,
Arcanique stupens tanti mysteria facti,
Non compos, non illa sui, non amplius illa,
Haeret paullum animi, obtutu et defigitur uno.
Hinc tepido large lacrimarum offunditur imbre,
Flectit prona genu trepidans, dein talibus infit:

Nate, decus matris, sua prima, supremaque cura
Posthac, quandoquidem tali dignaris honore
Ancillam Deus, ut non dedignere parentem,
Heu! quali exceptum video te limine, nate!
Antrum horrendum, ingens, hi nunc tibi, care, Penates?
Quales hospitii comites, quae regia cuna!
Hic intercepit pietas iam plura volentem.
Sedula tum niveis puerum complectitur ulnis,
Irrorat lacrimis, lacrimis atque oscula miscet.
Inde tegit velo, pectus quo mater honestum
Vestibat; modicum lactentique ubere pastum
Diva parens congesta super stramenta reponit.
Laetis interea concentibus aethra resultat,
Asseriturque Deo laus uni, et gloria soli,
Vertice qui summo terris moderatur, et astris.
Et pax in terra, pax et mortalibus aegris,
Quos bona commendat, quos frugi, et sancta voluntas.

NOX DOMINICA NATALIS.

EPIGRAMMA.

Nocte venis, dum cuncta silent dum cuncta quiescunt,
Tecum et, blande puer, gaudia cuncta refers.
Nec te, cui non cuncta silent, non cuncta quiescunt,
Nec tua quis speret gaudia, blande puer.

DEVS HOMO FACTVS

EPIGRAMMA.

Quandoquidem mortalis homo Deum adire nequibat,
  Ad nos factus homo venit et ipse Deus.
Utrum alio maius? mirabile utrumque. Sed illud
  Splendidius nobis, istud at utilius.

PVERI AD PVERVM IESVM

EPIGRAMMA.

Oscula. Et haec pueri puero munuscula, quando
  Per nos nil maius, nil tibi ferre datum.
Sed renuis, placidosque alio divertis ocellos?
  Oscula non ferimus, non sine corde, Puer.
Iam iam subrides, et candida brachia tendis.
  Hoc plusquam pueri est, sic sapere, alme Puer!

AD NOCTEM DOMINI NATALEM.

ECLOGA.

Aegonis musam referam, nocturnaque vota,
Qualia desertis pleno de pectore tesquis
Fudit, qua placidus raucis per amoena salicta,
Albentesque inter spinas immurmurat undis
Iordanes, amnes inter sanctissimus unus.
Nox erat, et caeli medium prope Luna tenebat,
Luna tenebrarum, et taciturnae noctis amica.
Hesterno interea confectus membra labore
Stertebat pastor, pecoris ditissimus, Aegon.
Quem non exciret clangor, sonitusque tubarum,
Nec subita exciret vel turbinis ira tonantis.
Excitur somno tamen improvisus, et ultro,
Circum et cuncta oculis lustrans, sic protinus orsus.
Quae nova, quae puro rutilant nunc lumina caelo?.
Eminet ast illud, nec fallimur, eminet illud,
Atque praeit reliquis. Agnosco: hoc sidus Iacob.
Dicite, io. Agnosco: promissum hoc sidus Iacob.
Concipe divinum, mea tibia, concipe numen.
Oh! tandem nobis post tot casusque, laboresque
Expectata venis! Salve, o nox aurea nobis,
Aurea sic redeas nobis, sic laeta, quotannis.

Concipe divinum, mea tibia, concipe numen.
Illa haec, quae Regi, et Vati nox fulserat olim,
Et mea, clamavit plenae inter gaudia mentis,
Lux, et delicium! mihi, tu nox sola voluptas.
Tecum nulla dies, nulli contendere Soles
Ausint, o felix, o candida, et aurea semper!
Concipe divinum iam nunc, mea tibia, carmen.
Non ea, non generis modo tristia damna rependit,
Dira venenatae delens contagia culpae;
Sed tanta in nostram convexit praemia sortem,
Ut possit felix iam culpa vel ipsa videri.
Concipe divinum iam nunc, mea tibia, numen.
O felix Adae, salve, generosa propago!
Qualis honos, et quanta tibi nunc gloria venit?
Ecce Deus, Deus ille! at non tantum Deus ille.
Ipse homo, et ipse Deus, noster sic totus utrimque.
Montibus haec canere in nostris, plaudentibus auris,
Damon (nunc repeto) multis, et saepe solebat,
Venturum, nostras olim qui ad sidera laudes
Tolleret, et daret, esse Deos, Divûmque propinquos.
Concipe divinum, mea tibia, concipe carmen.
Sed quo me rapitis, divini longius ignes,
Divini in totis ferventes ossibus ignes?
Lucifer auroram tremulus iam pulsat amicam,
Iam iamque occiduum respectant sidera litus.

Desine divinum, mea tibia, desine carmen.
Sed tibi, care puer, nostris dum fontibus umbrae,
Iordanesque pater nostra haec praeterfluet arva;
Qua Sol Eoo madidus de margine surgit,
Quaque sub occidua devexus mergitur unda,
Aeternum tanti perstabit gratia facti.
Et iam vota tibi, tibi sacrabuntur et arae,
Aurataeque aedes, victuraque carmina seclum.
Sed quo sacratas, quo ture adolebimus aras?
Et vice turis, erunt casto de pectore vota.
Hostia quaenam aris? arae quae denique et ipsae?
Pectora nostra unâ sunto simul hostia, et arae.

PVER IESVS DORMIT.

ELEGIA.

Dormi, dive Puer, dormi, dulcissime Iesu,
Lenior et somnos molliat aura tuos.
Te rosa, te violae puris afflatibus omnes
Circumstent, florum et caetera turba virens.
Blanda sinu Mater foveat, lectissima mater,
Nec pigeat cunis advigilare Senem.
Supraque, et circum coetus praesepia sistat
Caelicolûm, pueri deditus obsequio.

Vana loquor! Puero crucis obversatur imago,
  Quae somnos turbat, lacrimulamque ciet.
Balbutitque Crucem bis; dumque intentius instat,
  Vltima suspensum syllaba destituit.
Sed raptim cupidos in me divertit ocellos,
  Et mihi subridens, iam mihi totus adest.
En ubi lacrimulae? redeunt quin gaudia fronti,
  Et me, me manibus, nutibus, ore, petit.
Tanti ergo tibi sum, puer! ut me denique viso,
  Et Crucis oblitus iam videare tuae?
Te sequar (ecquis enim tanto non cedat amori?)
  Immemor ipse mei, sed memor usque tui.

IN IDEM ARGVMENTVM.

ELEGIA.

Dicamus bona verba: procul, procul este, profana.
  Dent sacra divinos plectra canora modos.
Sancta Dei sacri colimus natalia Vates.
  Quisquis ades, multa cum prece tura dato.
Tuque, o dive puer, Genitoris amabile Verbum,
  O toties nostris spes data certa malis!
Gaudia cur mundi differs? quid vota moraris?
  Exacto nonum Cynthia ab orbe redit.

Aspice, quae tantis iactatur vita periclis :
  Aspice, quae retinent turpia vincla manus.
Aeternum patria detrusos: omnium egenos:
  Iurata in nostrum pessima quaeque caput!
En miseris umquam, longo post tempore, sedes
  Amissas tandem cernere posse, datum ?
Vt duro quercus manent de cortice nectar,
  Vt silices duri roscida mella fluant?
Carpe viam, Ioseph, coniux et pone sequatur :
  Hesperus umbrifero proximus igne micat.
Spargite iam, pueri, violas, et spargite flores,
  Et rubeat tyriis semita picta rosis.
Surgite, vitales aurae, Zephyrique tepentes,
  Perque vicem, volucres, dulce ciete melos.
Quid loquor, infelix! surgit nimbosus Orion,
  Et gelido noctem turbidus imbre gravat.
Quae vos excipiet tellus ? Rus undique, et imber.
  Cum sene quid faciat casta puella viro ?
Apparet Bethlem contra specus horridus, ingens!
  Quid, Musa, in mentem nunc revocare iubes?
Parva licet, Iudaeque inter vix nomine nota
  Vrbes, te Bethlem, ne minimam reputes.
Non alio Superûm quaerenda est regia Regi,
  Regia cui Solis vel foret inferior.

Ecquid enim terrena petat, qui deserit astra,
  Aut quae pro tanto par domus hospitio?
Ergo regalis pueri tu collige membra,
  Accipe tu famae pignora certa tuae.
Nonne vides, quanta tibi descendit ab alto,
  Et quantum resonet caelica turba melos?
Gloria summa Deo, summi de vertice caeli,
  Et pax in terra, quos bene velle iuvat.
Omnis et in pia vota ruit stellatus Olympus,
  Insuetaque orbem verberat ille face.
Scilicet haec tanti mittenda est nuntia facti,
  Qua sua demittit tura remotus Arabs.
Et veniet tempus, terno cum munere dives,
  Submittet puero colla remotus Arabs.
Intereaque suum veneretur numen Asellus,
  Agnoscatque suum bos piger ipse Deum.
Flecte genu, mortalis homo. Tibi nascitur infans,
  Nec refugit generis signa pudenda tui.
Turpe est, obsequio tecum contendere bruta:
  A brutis vinci turpius obsequio.

Tenebrae non obscurabuntur a te, et nox, sicut dies, illuminabitur. Psal. 138.

EPIGRAMMA.

Te nascente, licet nox incubet atra, fugantur
Umbrae, nox fulget splendidiorque die.
Te moriente, licet medio Sol splendeat axe,
Vel nocte horridior visus et ipse dies.
Quam tecum mallem, Puer, unam ducere noctem,
Quam sine te, nitidos mille videre dies!

" *Non enim videbit me homo, et vivet.* Exod. Cap. 23.

SONETTO.

No : che mi vegga l' uom mortale, e viva,
Non fia ver : chè della mia luce al fonte
Pupilla tal non bee in bassa riva.
Così disse Dio, e ancor ne trema il monte.

Ma poi ch' il raggio dell' augusta fronte
Velo coprìo d' umana spoglia e viva,
L' altero lume, e senza tema od onte,
Ferma sostenne in viso, e non più schiva.

Così se avvien, che in vaga nube accolto
Il Sol contempri i raggi suoi, sicuro
Ciascun n' ammira il maestoso volto.

Ma poi che a mezzo dì raggiante e puro
In suo seggio rifulge, e' ben fia stolto
Chi affissarvi presume il guardo impuro.

SONETTO.

Quando, gran Dio, dal tuo poter supremo
  Del nulla tratte queste cose io miro,
  E quanto in lor v'è di stupendo ammiro,
  Disegno sol di tuo consiglio eterno:

Poichè cercando invano io non iscerno
  Il dove il come di lor niente uscìro,
  Il come il dove infra di lor s'unìro,
  Tremante e muto nel mio sen m'interno.

Ma quando poi bambino, o mio Signore,
  Per me ti veggo in dolce aspetto e novo,
  Di grazia pien, di leggiadria, d'amore;

In me non più m'inselvo, e più non trovo
  Allor me stesso in me: fugge il mio core,
  E dentro il petto mio più nol ritrovo.

SULLO STESSO ARGOMENTO

CANZONETTA.

Non ha guari in rozza cuna
Un puttino io rimirai,
De' be' fior più vago assai
Del ridente e dolce April.
Il musin di minio avea,
Ed alquanto tumidetto;
Rose e gigli nell' aspetto,
Tutto amabile e gentil.
Nel bel cerchio d' eban fino
Un occhietto risplendea
Sì vivace, che parea
Saettare in mezzo al cor.
Quindi un bue e un asinello,
Quindi un veglio colla sposa,
Senza indugio e senza posa,
Gli fan corte e vezzi ognor.
Io m' appresso, ed un bel fiore
Gli presento piano piano.
Ei mi guarda, e poi la mano
Stende il fiore ad accettar.

Ma ben tosto sdegnosetto
Il bel fiore getta via.
Poi mi guarda, e par che sia
Altro intento a desiar.
Quel che voglia, io non comprendo:
Solo un bacio allor gl' inprimo
Sul musino, ed egli il primo
Stende il labbro incontro a me.
Coglie il bacio, e poi sorride,
E qual un che gran tesoro
Acquistò di gemme ed oro,
Parmi tutto fuor di sè.
Me ne parto, e nulla intendo,
Ma partendo, nel mio petto
Dolce ardor sento ristretto,
Che mi strugge notte e dì.
Cerco il core e più no 'l trovo
Entro il povero mio seno.
Folle! or sì comprendo appieno,
Ch' il bambin me lo rapì!
Ah! quel bacio, e quel sorriso
Volean dir, che non più mio
Il mio cor sarebbe, oh! Dio,
Ma del caro suo Gesù.

Dolce amore, io no'l contendo,
Anzi tutto tutto tuo
Vo' che sia, e non più suo,
E ch' a me non torni più.
Ma però ti vo' avvertire,
Ch' un dì forse l' uccellino,
La cervetta, o 'l gelsomino
Tel potria di man rapir.
Tu perciò, che ben lo puoi,
Colle dolci tue catene,
Tu lo annoda così bene,
Che non possa più fuggir.

Diligam te Domine. Psalm. 17.

EPIGRAMMA.

Vincite carminibus, vates, qui nomen Iesu
Laudatis, vobis vestra nec invideo.
Cedite sed primas tantum mihi Iesum in amando,
Quo cunctos unus vincere discupio.
Nec me spes fallat, si nomen amabile Iesu
Hoc sperare iubet, quod petiisse dedit.

AD PVERVM IESVM.

HENDECASYLLABVS.

Oh! qualis puer hic? vel unde tandem,
Qui mortale nitet super, sapitque?
Hic, hic ille Deus, Deoque Patri
Nil suppar genitus, minorve, fulgens
Ante sidera, siderumque flammas.
Cur at semihiant rubella labra,
Cur et turgiduli madent ocelli?
Nî me decipiunt rubella labra,
Et si veridici annuunt ocelli,
Tu suaviolum dari tibi vis,
Tu meum ad cor hias, meos et ignes.
En suaviolum: tene, quod optas,
Cordatum male cor, meos et ignes.
Sed tu nî igniculis tuis aduras
Cordatum male cor, measque venas,
Ignes perpetuo tepore languent,
Nec suaviolum est satis suave.
At cor si igniculis tuis aduras,
Ignes continuo calore crescent,
Fit suaviolum tibi suave.

PVERIS DOMINVM LAVDANTIBVS PLAVDITVR

DISTICHON.

Laudarunt pueri Dominum : laudemus et ipsi
In Domino pueros , et Dominum in pueris.

PURIFICAZIONE DELLA SS. VERGINE.

CANZONE.

Donna, del tuo candore
Il bel pensiero, e l' alta voglia intensa
Del tuo sovran Fattore
E sposa e Madre con tua gloria immensa
Un dì ti feo. E se di madre al nome
Pave l'alma gentil, s'ergon le chiome,
Fu sol, perchè di Madre il dolce vanto
Tu nemico temesti al desir santo.
Ma fur tuoi dubbi sciolti,
E 'l cor fu tosto di sua pace donno,
Quando i be' lumi volti
Modestamente al suol, come chi sonno,
O sopor dolce in su 'l mattino invita,
Alta promessa, arra gentil di vita,
Dal messaggier superno, o Donna, udisti,
Che sien la rosa, e 'l giglio in un commisti.

Misto alla rosa il giglio,
E l'uno intatto, vergin l'altra sia.
O sol di lui consiglio,
Al cui voler eguale il poter fia!
Stupì Natura alle non viste cose,
E per santo rispetto il capo ascose.
E tu Vergine e Madre, in te gli egregi
Vedi accolti fra lor opposti pregi.
Perchè di core umile,
Nel dolce sen l'eterno Sol s'asconde.
Ma 'l sommo onor gentile
Di piacergli così, non fia d'altronde,
Che dal vergine cor solo s'apprenda.
O di vergine cor forza stupenda,
Non fia chi teco di pugnar presume,
A cui s'inchina amante e sposo il Nume.
Ma quali in questo giorno
E tempio, ed ara, e sacrifizii io miro!
E te quivi d'intorno,
Te veggio pur Vergine bella in giro!
Deh! lungi. Delle Madri il loco è tutto,
E 'l sagro rito. È ver, che anche tu frutto
Vanti di sen: ma di vergineo stelo,
Unico frutto al mondo, come in cielo.

Ah! che del Giusto l' ombra,
  Qui ancor s' immola. Eccol fra schiava torma
  Infantil che ne ingombra,
  Se ricomprar di dura legge a norma.
  Del Giusto l' ombra, e non il Giusto ancora,
  Oggi s' immola, che giustizia onora.
  Altro tempo, altro loco, altr' ara attende
  Del Giusto il sangue ancor senz' ombre e bende.
E del vergineo onore
  In questo giorno ancor l' ombra s' immole.
  L' ombra, ma non il fiore,
  Onde sì bella apparve al sommo Sole.
  Delle madri volgari infra la schiera
  Vedi la Verginella, qual prim' era
  Del parto suo gentile, in esso, e poi,
  Finchè pietosa ascolta i servi suoi.
Vergine, addio: tu Madre,
  Non più tal al cieco mondo appari.
  Chè solo al sommo Padre
  Della Figlia di Sionne i pregi rari
  Son chiari, e 'l bello ch' in suo core asconde,
  Qual sue perle conchiglia in mezzo all' onde.
  Oh! ben di te felice madre e bella,
  Chè tal non vide mai Sole, nè Stella.

E fia che giorno vegna,
Onde di madre pure il grato incarco
Abbandonar convegna
Di doppio legno, ahi vista! al crudo varco!
Vergin così mal conosciuta, e in uno
Orfana madre senza figlio alcuno.
L' atto primier già compì: ed il secondo
Attende ad ora ad or l' afflitto mondo.

VIRGO MATER AMISSVM QVERITVR IESMV.

ODE.

Dicolos-distrophos.

Nec desiderio modus
Esto, nec lacrimis ulla siet quies:
Nec lassis dabitur mora
Plantis, lux oculis reddita nî meis,
Matris filius unicus.
Eheu! iam tremulo tertia lumine
Nunc aurora redit mihi;
Nec fas, nate, tuo lumine perfrui,

Notam et stringere dexteram.
Quo quaesitus abes, quo latitas adhuc?
Aut quae nunc plaga detinet?
Vivis-ne, et supera vesceris hactenus
Aura? Quid meritus Pater
De te tale? dolens quid genitrix tua?
Te per tecta, per et vias,
Te per tesqua die, nocteque quaerimus.
Vna at questibus assonat
Echo flebilibus saxa, per et cavas
Valles irremeabiles.
Vires deficiunt immemores cibi,
Hoc tantum, memores tui!
Tales virgineo pectore flebiles
Fundebat genitrix modos,
Et circum roseas guttula per genas
Ibat sponte sua frequens,
Matutinus ut in gramina, vel rosas,
Imber. Sed puer interim,
Arcani penitus consilii tenax,
Praeceptum exequitur Patris,
Doctorum medius concilio sedens,
Templi fornice lucido,
Pandit mira Dei pectore divite.

Quanta oh! luce potentior,
  Maturosque Patres, inter et infulas
Fulgentes, puer eminet!
  Nunc instat dubiis consilii potens,
Haerentesque gravis premit.
  Nunc ultro rogitat, claudit et ambitus,
Qui veri specie queant
  Incautas animas flectere de via.
Quo tandem tumor insolens,
  Doctrinamque pati nescia mens senum,
Tanti robore numinis,
  Dat iam experta Deum, victa manus Deo.

PRO ALOYSIO RVFFO

S. R. ECC. CARDIN. ET ARCHIEP. NEAPOLITANO.

VOTA.

Fortunate Senex ! quem nunc complecteris ulnis ,
Pectore quem trepidans terque quaterque premis ?
Vt ros in gramen , per canas lacruma manat
Crebra genas, haerent et labra fixa labris.
V!tra et quid videam, clamas ? quidve amplius optem?
In pace ut moriar , da mihi , sancte puer !
Sancte Senex, parce. Eripiunt tot gaudia mentem :
Vitam complexus , mors procul hinc abeat.
Vive igitur : quamquam post haec spectacula rerum ,
Vitae huius fluxae sit grave , quod superest.
Vel mage , quod vitae piget, hoc super additor annis
Pontificis nostri , purpureique Senis.

ORAZIONE ALL' ORTO.

MADRIGALE.

Per me t' angi, o Signor, e preghi e sudi,
E'l tuo sudor è tale,
Che ruscelli di sangue al suol trasudi.
Estranea cosa e quale
Non più vide natura, o intese mai!
Ma ve' mostro di tal più strano assai!
Che mentre, o Dio, per me tu vegli e tremi,
Io dormo sol ne' miei perigli estremi.

FLAGELLIS CAEDITVR.

ODE

Dicolos - tetrastrophos.

Non sic grando furens turbine truditur,
Decertante fero cum Borea Noto,
Et spumante salo fluctibus horridis
Inter fulgura iugiter.

Non sic flava seges grandine tunditur,
Aequaturque solo plurima, flebiles
Per sulcos, domini pauperis hactenus
Spes et cura, sed irrita:
Vt nunc verberibus verbera saeviter
Densantur, valido milite brachiis
Alternante modos per refluentia
Circum sanguinis agmina.
Indiscreta ruunt undique pellibus
Munitae Scythicis fulmine dexterae,
Adfectatque avida saevities fame
Pulcram in vulnere gloriam.
Humana his species, non genus est tamen.
At parte ex alia cernere nil datur
Humani, heu! facinus. Corporis amplius
Nec vestigia iam manent.

Coronam de spinis imposuerunt capiti eius. Luc. c. 19.

EPIGRAMMA.

Sertaque de spinis, Miles, male texta retentas
In caput innocuum, quae magis apta tuo!
Exultasque ferox animi, illudisque, dolori
Scilicet admixtum dedecus esse, ratus.
Falleris! Illa suum capiti non dedecus addunt,
A capite accipiunt sed magis ipsa decus.
Ergo pulcher erit posthac, et amabilis ille,
Spinarum, turpis qui fuit ante, dolor.

Factus est Principatus super humerum eius
Isai. Cap. ix. v. 6.

DISTICHON.

Stant humeris nostris Regum mortalia regna:
Vnus at hic regnum Rex gerit ipse suis.

SULLO STESSO ARGOMENTO.

SONETTO.

Lo scettro impugna, e con altero piede
 Calca rege mortal regno terreno;
 E tanto più, quanto su quell' appieno
 Temuto grava, di regnar più crede.

Sotto l'impero suo, in cui la sede
 Eterno amor ripose, ecco vien meno
 Di sangue e sudor molle il Nazareno,
 E ferma il regno suo, quanto più cede.

Anzi al suo cader forza in fin riceva
 Il dolce impero suo più che vigore
 Dall'altrui temer questi al fin rileva.

Forza, ch'ogn' altra forza inchini e onore,
 Umil così, come maggior si leva
 Su regi tutti il chino mio Signore.

SALITA AL CALVARIO.

SONETTO.

Piagnenti vie, che del Calvario in cima
Menate, ahi! lasso il Redentor del mondo,
Ove che sudor traccia, od orma imprima
Il divin piede, io bacio, e 'l viso ascondo.

Ma in te mi affiso, o caro Legno, in prima,
E 'l pianto mio col sangue tuo confondo.
In te, cui nulla il mondo folle estima,
E del cui prezzo a te s' attiene il pondo.

In su le Armene vette il primo Legno
Frenò del nostro seme i danni e l'onte,
Quando d' acque fu tutto e preda e regno.

Nè senza di te, alcun giammai sormonte,
Novo Legno vital, di morte il segno.
Ma teco gir *n' è forza infino al Monte.*

Obscuratus est Sol.

EPIGRAMMA.

Te moriente, nigra tegitur caligine Phoebus,
  Et renuit, tantum posse videre nefas.
Quin et tellurem convulsam, illisaque saxa,
  Naturamque omnem condoluisse, ferunt.
Tu tantum, mortalis homo, tu lumine sicco
  Cernere, quis credat? funera tanta potes!

Stabat Mater.

EPIGRAMMA.

Aspicis hinc duro pendentem e robore natum,
  Aspicis hinc Matrem roboris ante pedes.
Nulla tamen Matris communia signa doloris.
  Infelix! tantum perstitit ante Crucem.
Scilicet humanos superat quae cura labores,
  Abnuit, humanis posse patere modis.

Stabat ante crucem Iesu.

EPIGRAMMA.

Restitit ante Crucem Mater dulcissima Iesu
Recta, immota, silens, pumiceis oculis;
Et natum amplecti voluisset pectore toto,
Adae cum menti tristis imago subit.
Atque indigna adeo mentem concussit imago,
Totisque exhorrens artubus intremuit;
Vt si forte Deo placitum, invitissima quamvis,
Prodeat, ut tantum deleat ipsa nefas.
Sic patria dextra cecidisset filius Isac,
Ni, revocante Deo, dextra retenta foret.

MIRA CRVCIFIXI EX EBORE IMAGO

EPIGRAMMA.

Sic nempe ille pedes, sic palmas morte rigentes,
Luminaque ad caelum versa gerebat hians.
Sic caput, atque artus, formam sic corporis omnem
Convulsam, mira at nobilitate gravem.
Non hoc est, hominem mortis sub iure referre,
Solventem at mortis iura referre Deum.

MARIA A' PIÈ DELLA CROCE.

SONETTO.

Vedi colà su duro legno atroce
Uomo trafitto, ed a spirar d'appresso.
E vedi a piè del crudo legno stesso
Donna immobil nell'atto e nella voce.

Dell'uom l'afflitta Donna affisso in croce
Madre è verace. E della Donna anch'esso
Figlio verace è l'uom. Pur segno espresso
In lei non vedi d'aspro duol feroce.

Bevve letargo mai, ovver che immuni
Del Figlio i sensi d'ogni neo non crede?
O fia che in cor diaspro o smalto aduni?

Ah! che quel duol ch'ogn'altro duol eccede,
Per gli usati del duol sentier comuni
Far non puote di se pruova nè fede.

CHRISTVS REDIVIVVS.

ODE.

Dicolos-distrophos.

Sit licet excisum viva de rupe sepulcrum,
Obsignataque limina moles.
Per noctem satagat multus vigilare satelles,
Nulli itus pateat, reditusque:
Vanus hic est omnis labor, omnia denique vana,
Nec bene cautum, nec bene praedae
Sic, mors atra, tuae. Ruit ab radicibus imis
Imperii male parta potestas.
Perculsi trepidant vigiles, radiantibus auris
Inter nigra silentia noctis,
Praecipitantque metu erecti. Lapis ecce supinus
Irridet molimina vana.
Aliger ad lapidem candenti veste minatur,
Mira et fulget luce tremendus.
Numinis in vitam rediit velamen, iniquae
Iam mortis triduo iuga passum.
Ille immortalis, Phoeboque nitentior, ille
Mobilibus velocior auris,

Oscula nota petit matris, notosque suorum
  Amplexus. Nutantia corda
Roborat, et qua patet orbis, quaque patebit,
  Rerum ordo novus, et nova cuncta.
Nec minus ille novos tacito sub pectore nobis
  Molitur de morte triumphos.

SIDERA SCANDIT.

EPIGRAMMA

Dum potes ipse mori, victaque, resurgere, morte,
  Quis neget, esse hominem, quis neget, esse Deum?
Cumque, triumphata iam morte, ad sidera scandis,
  Quis porro mortem spernere non properet?
Ipse doces hominem mortem moriens homo; et astra
  Nunc scandens, mortis spernere tela doces.

ASCENSIONE.

SONETTO.

Al vederti, Signor, su crudo Legno,
Di sudor, di pallor, di sangue tinto,
Chinare a morte in seno il capo estinto,
Del fral che vesti, qual più chiaro segno?

E te vedendo poi nel tuo bel regno,
Di morte il fero stral spuntato e vinto,
Girne d' eterno onor di gloria cinto,
Dell' esser tuo divin qual più gran pegno?

Così cedendo a morte il frale ammanto,
La legge del morir ne additi a noi,
Legge, cui di schivar nessuno ha vanto.

Ma di morte calcando il fasto poi,
Pien di vita immortal, ne mostri intanto,
Ch' eterni unqua non sien i vanti suoi.

PIETA' SINGOLARE DELLO DIO CROCEFISSO.

SONETTO.

Tanta dolcezza al core allor discende,
Che l'egro a confortar io son intento,
Che per l'altrui ben mio mal non sento,
E dall' altrui conforto il mio dipende.

Or comprendo di lui, che tutto intende,
L' alto immenso piacer, l' almo contento,
Onde se stesso in mille forme e cento
Versando, al nostro ben tutto s' attende.

È di pietoso cor l' usato oggetto
O l' amico fedele, o l' infelice,
Che di volere ostil non è sospetto.

Ma dalla Croce un Dio tutt' altro dice:
In questo di dolori orrido letto
Moro, onde sia chi mi oltraggiò, felice.

DISCESA DELLO SPIRITO SANTO.

CANZONE.

Qual da lungi improviso io suono ascolto,
E turbin veggio agitator possente
Per l'ampie vie del Sole
Sulla terrena mole
Muover veloce sì, che pigre e lente
Foran pupille in lo seguir? e folto
Di lingue stuol serpente
Veggo fra mille e mille
Luminose cocenti auree faville?
Sol pacifici agnelli in chiuso loco
Cerca la sagra fiamma, e sì gl'investe,
E in varie forme e nove
Di se gli accende e move,
Che dentro e fuor cangiata è già lor veste.
Tutto è senno, vigore, e tutto è foco,
Tal che altro or più non reste
Di lor costume antico,
Ch'il fido core d'innocenza amico.
Ma poi gli veggo incontro a Tigri, e Pardi,
E Pantere e Lioni arditi farsi,

Col resto delle belve,
Terror dell' alte selve.
Veggio di lor velli e membri sparsi
Al suol da queste, chè non sorgon tardi
All' ire. Ma calmarsi
Le veggio poi in brev' ora,
Ed agnelli divenir le belve ancora.
Ovunque il Sole i raggi suoi diffonde,
Il dolce lor belare alto s' intende.
D' Atene il verde ulivo,
Altero sempre e schivo,
E di Mario la quercia invan pretende
Col vano mormorar delle sue fronde
Opporsi. Al fin s' arrende,
E con più saggio stile
Impara ad esser altamente umile.
Ma a quel ch' io provo, è nulla ciò che veggio.
Provo amaro il piacer, dolci le pene,
E povertade bella,
E vil pur troppo quella,
Che l' alme avare in aurei ceppi tiene:
Parmi il peggior meglio, migliore il peggio,
Del cor cerco le vene,
E qual ebbrezza io provo?
Cerco nel mondo il mondo, e più no 'l trovo.

BEATISSIMA VIRGO IAM IAM MORITVRA.

EPIGRAMMA.

Restitit, ad sedes iam iam reditura supernas,
Quae notae dudum, candida virgo parens.
Illi se comitem praebens, Mors laeta propinquat,
Visu pallidula, at non inimica tamen.
Contra divus Amor; qua nos deprompta huius imago est
Primitus, hac nostra restituenda manu.

BEATAE VIRGINIS TRIVMPHVS.

CARMEN.

Extremum hunc, Mater, pueris concede laborem,
Te superas scandentem auras, certasque petentem
Sedes, posse sequi. Totos utinamque liceret
Posse sequi sic, ut tibi, parte superstite nulla,
Caeli aditus, solisque vias, meritos et honores
Sorte tenere, datum! Obstat at immutabilis ordo,
Et rerum status. Hinc votis te utcunque sequemur.
Qualis virgineo demessus pollice, mane
Primo hyacinthus hiat, quem matutinus et imber,

Et tepidae afflarunt, Zephyris mulcentibus, aurae,
Cum primo adsurgens notos evadere fluctus
Contendit Phoebus : talis pulcherrima Mater,
Postquam divus Amor mortali excedere sede
Impulerat, vitae captam melioris amore,
Os placidum, niveasque manus, oculosque decoros
Ad caelum specie tendens, resupina iacebat,
Vix ut correptam tenui, languentibus alis,
Quisque sopore putet. Sic ora, manusque ferebat,
Sic oculos, et quae mortali caetera vitae
Proxima. Terque diem surgens induxerat orbi
Aurora, et nondum Phoebus caput aureus undis
Extulerat, face tergemina cum visa repente
Fulgere. Crebra etiam per rara crepuscula visa
Caelicolûm pubes inter plaususque, choreasque,
Ingentes, Divum et caelestia pabula, cantus.
Hi prono dias venerati corpore primum
Exuvias, sanctosque artus, sacrataque busta,
Pars circum, vigilum de more, residere visa,
Itque, reditque viam, reducique ostendere flammae
Antiquum veluti hospitium, sedesque relictas
Occupat. Ecce autem immensos per luminis orbes
Tota repente patet domus omnipotentis olympi,
Caelicolûmque phalanx omnis ruit ordine miro.

Qui superas tenuere plagas a sidere primo,
Caelestes penitus, nullo sine corpore, mentes.
Hoc agmen primum. Dextra, laevaque sequuntur
Quotquot per mundi casus, variosque labores,
Tempore non uno attritos, dignosque probatos
Divûm sorte, recens atri de faucibus Orci
Eripuit scandens redivivus, morte subacta,
Victor Homo, caeloque inhiantes intulit alto.
Hos inter medius, puraeque simillimus aurae,
Quam nebulas inter, stillantes inter et imbres
Matutinus agit Sol celsa cacumina contra,
Spiritus ecce redux, Divae caelestis imago,
Parsque sui melior, quam contra sidera pallent,
Pallet et aestivo medius Sol rectus in axe.
Reginae vix dum adstiterat coram ille iacenti,
Et placidos oculos, spirantiaque eminus ora
Persensit, totos properat se infundere in artus
Exultans, telo, et levibus velocior auris.
Talis fumantem iam tum, penitusque calentem
Anxia flamma facem repetit, fuit unde revulsa.
Flamma facem repetit, aura adspirante fideli,
Impetit in gyrum, rursumque sibi asserit omnem.
At Regina, levi facilis veluti excita somno,
Impatiens et iam iam tellurisque, moraeque,

Evehitur praepes nati subnixa lacertis.
Ingeminant Superique melos, plaususque canoros,
Quadruplicique sonat totus de cardine mundus,
Miratus lucemque novam, insuetosque triumphos;
Tantaque pars caeli caelo sic reddita tandem.

ALLA VERGINE TRIONFANTE.

SONETTO.

Come chi desto il piede e i lumi ferma
In reina città, di cui l'immago
Formò sognando; d'ammirar non pago,
Ride l'immagin sua confusa inferma:
Tal io mi sia, ch'in buja notte ed erma
Di te scrissi, reina, ove che vago
Ti vegga un dì, se ben è il cor presago,
Di maestade in soglio assisa e ferma.
Pur terrena cittade, almen simìle,
Sebben superba manco, uman desìo
O vide, o dir n'intese in chiaro stile.
Ma 'l bello, ove d'amor caldo m'invio,
E di cui dissi in fioca voce umìle,
Occhio non vide mai, nè orecchio udìo.

ROSARIVM DIVAE VIRGINIS.

CARMEN.

Vocis et hoc etiam quodcumque, lyraeque sonabit,
Sit quamvis exile, tuis o Diva, tuere
Auspiciis, facilisque adsis puerilibus orsis.
Scilicet est animus, per amoena rosaria paullum
Ire tua. Haud alio deceat felicius usquam
Gusmani se se exercere parentis alumnos.
  Ille latus fessum, posita cervice, recumbens,
Hesternis, ut mos, curis attritus, ad arae
Spondam imam, tacito repetunt cum sidera lapsu
Oceanum, magni flammas metuentia Solis,
Ingentem gravis evolvit sub pectore molem.
  Caerula qua Ligeris celsis de montibus unda
Exsilit; hinc et qua praeterfluit arva Garumna
Longe amnis, circum et Braccatas alluit Vrbes;
Qua Rhodanusque Pater vasto fluit incitus alveo;
Miratur saevis iam dudum Aquilonibus actam,
Petri iactari cymbam, tantumque fatiscens
Huc non usque latus, pelagoque, hiemique dedisse.
Quid non tentatumque viro, exhaustumque malorum est,
Si qua vim venti tenuare, furentibus undis

Occursare datum ! tenuis nec gloria certe,
Oceano in magno septem durasse per annos
Impavidum, vento nec de uno parta tropaea,
Evasi et toties scopuli, domitaeque procellae.
At belli causas ipsa ut victoria saepe
Suppetit usque novas, positis sic fluctibus, ille
Densari nubes iterum, totumque cieri
Altius ex imis miratur sedibus aequor.
Divina humanis videas discrimine nullo
Permixta. Et fidei, et morum lex una voluptas.
Hinc sua cuique fides pro moribus. Omnia foedis
Plena libidinibus, sanctis nec parcitur aris,
Et Matri Idaliae quocunque impune litatur.
Quid non demum ausint, sancti qui foedera damnent
Coniugii, coetusque agitent sine lege nefandos?
Ausi quin etiam securo carpere dente
Mores, Virgo, tuos, et sancti iura pudoris,
Vnigenamque tuum sceleratis addere moechis!
Et qui bina Deûm meditantur monstra, suisque
Retibus implicitos, fragrantesque ignibus ambo,
Et quae quis memoret, quem et non memorasse pudebit?
Haec animo assidue occursant noctesque, diesque,
Sollicitantque virum. Lacrimarum hinc vena perennis.
Quamquam non ullo rerum discrimine frangi,

Non dare terga metu, manet alta mente repostum.
Quin etiam, modo ne divinior ordo vetasset,
Quod superest vitae, per vulnera mille dedisset.
Ergo dum votis supplex pia numina poscit,
Et te sollicitat, Mater, studiosior unam:
Dum fluit uberior lacrimarum vena per ora,
Et nova molitur poenarum inventa per umbras
Crudelis sibi, ut haud alias crudelior ante;
Ecce tua ante oculos, Mater, caelestis imago
Visa repente viri, summis pulcherrima qualis
Caelicolis, et quanta soles! Duodena per orbem
Astra ibant, properat dum lambere Cynthia plantas,
Atque suo totam circum Sol nubit amictu.
Assuetum quamvis, sanctus circumstetit horror,
Spemque, metumque inter passim praecordia nutant.
Ipsa animum firmas, diis et pectora mulces
Deliciis, Superis quae pabula nota ministras.
Talia dein faris, quibus et mulcere leones,
Moerentesque umbras valeas educere ad auras.
Pugnatum satis est, non infelicibus armis.
Sed nova sunt ineunda tamen tibi bella, novisque
Nunc opus est armis. En, accipe, vince. Perennes
Duc Styge de tota, subeas quocunque, triumphos.
Dixerat: et niveo porrexit pollice sertum,

Quod dedit esse suum, sancito foedere in aevum.
Accipit, et quas ille potest, pro munere, grates
Persolvit, divae delibans oscula dextrae,
Et dono pariter. Parvum digesta per orbem
Miratur, natique Dei, teneraeque parentis
Gesta. Triplex orbem series partitur ab aequo
Limite, cuique est et sua tessera. *Gaudia* primo.
Inscriptum videas: *Dolor* uni: *Gloriaque* uni.
Ordine quo fortasse Patrem, et mirabile Verbum
Patris, et amborum ex aequo spirabile Numen,
Naturae veluti ductos unius ab orbe,
Diva velit parva rerum sub imagine claudi.
Prosequar, et serti paucis ex ordine partes
Expediam, ut potero, faveat modo Virgo canenti.
  De caelo, quis nesciat? adiutoria primum.
Ecquid enim miseri sine numine possumus? inde
Et trinus cum laude Deus per secla colatur.
Et licet ille Deus, caeli cui regia sedes,
Sed tamen et Patrem nunc iure vocemus,
Assertum nobis quod nostri a sanguine fratris.
Hinc quinae seriem Decades ex ordine in aequas
Quamque secant partes, decades sic nomine dictae,
Quod decies castam moneat salvere parentem,
Quo pavitantem olim iuvenis ditavit honore

Aetherius, Matremque Dei veneratus ab alto est.
Sed veluti inscriptus notat intervalla viarum,
Solamen lapis et fessis praestare videtur;
Sic decimo quovis almae Genitricis honore
Decurso, lassis veluti cessare parumper
Iam sinitur, sanctum trinique resumere carmen,
Vniusque Dei, cui laus, et gloria soli.
Sic vires auctos, digitoque hinc inde magistro
Pollice per nodos recto super, indice subter,
Non umquam matris laudes iterasse pigebit,
Integrum donec ter quinquagenus in orbem
Sit numerus plenus. Numero mysteria deesse
Ne sua, credideris. Totidem, solidisque diebus,
Et tellurem olim magnam, qua qua patet, omnem,
Armeniae longe superatis montibus altis,
Quae mare, quae fontes, quae flumina, quaeque per auras
Enatat hac illac, et aquarum quidquid ubique est,
Irruit, et circum praerupta fluxit abysso.
Nec cuiquam super insanos evadere fluctus,
Posse datum, quem fida Noe non clauderet Arca.
Nec sine te, Mater, vitae hos evadere fluctus
Speret, et incolumem quisquis contingere portus,
Cum sis una salus, et foederis arca superstes.
Sed frustra labor est omnis, frustraque laborent

Per nodos digiti celeres , laudumque susurri ,
Nî tibi cura prior , sociam his adiungere mentem.
Collige te primum , quo tecum gaudia Matris ,
Quo nati poenas , quo funus , et inde triumphos
Expendas tacitus , parilique sequaris amore.
Non alio datur et rosei contingere serti
Praemia , non alio optatos et carpere fructus.
Instat et his Pater , instantem nec cura fefellit
Gusmanum. Rerum faciem nam protinus omnem
Inversam stupuit ; quem et tanto molimine saepe
Adgressus , contra durare tenacius hostem
Viderat , ille statim qua qua dare terga videtur
Incertus , quo se vertat , quibus atque latebris
Se condat. Nempe ex illo iam tempore clades ,
Non bellum fuit ; imperii et vìs tanta , furensque
Ira brevi cecidit , nullo reparabilis aevo.

Ad B. Virginem.

EPIGRAMMA.

Vt nubes venti, ventos ut pellere Phoebus,
Nubila sic vitae pellere, Virgo, potes.
Inter tot vitae casus, tantasque procellas,
Tu mihi certa salus, tu mihi sidus ades.
Cumque Dei sis una et nata, et sponsa, parensque,
Cur non una aderis spesque, salusque mihi?

Ad eamdem.

Nostra in te, Virgo, spes inclinata recumbit
Te sine, nil miseri, nil quidquam possumus: at te,
Virgo, favente, nihil miseri non possumus. Aret
Tristis ager, caelo nî largus depluat imber.
Nec minus ecce tuo nostrae sine numine musae
Torpescunt, vires arent, et carmina nostra.

Ad eamdem.

EPIGRAMMA.

Parvos parva decent. Et tu, dulcissima mater,
Accipe, quae pueri munera parva ferunt.
Quos et nunc tibi vix parvos sacramus honores,
Extremam foveas mortis ad usque diem.

SVB DIVI IOSEPHI EFFIGIE.

DISTICHON.

Terra Deum colat; astra colant. Sanctissime Ioseph,
Quem colis ipse Deum, te colit ipse Deus!

IN HONOREM B. PRISCI CONFESSORIS.

HYMNUS.

Prisce, quem laeti colimus patronum,
Dissitae quamvis regionis hospes,
Hic ames dici pater, et columna
Firma tuorum....

Iure te nostrum memores vocamus,
Cuius exemplis, monitisque nostri
Rite maiores didicere sanctam
Vivere vitam.
Martyrum servans pia busta, quamvis
Martyrum stola careas cruenta,
Martyrum, martyr tamen incruentus,
Praemia tollis.
Sis memor nostri, pater, atque civis,
Redde pacatum miseris Tonantem:
Cerne, quae nostro capiti minantur,
Iudicis irae;
Turba quem frendens tremit inferorum,
Quem Deum trinum venerantur omnes;
Quem canit Christi sine fine gaudens
Concio tota.

AD LAVDES.

Patronum celebret civis, et advena,
Maturusque senex, debilis et puer,
Et quisquis benefacta
Grata mente recogitet.

Hic febrem toties, et miseram famem,
Cladesque a patriis finibus arcuit,
Nutantem, tremulamque
Tellurem tenuit loco.
Ingratos pudeat, talia pangere.
En dum poena premit, culpa redarguit,
Heu! ad deteriora
Pronos, crimine originis.
Peccandi quis erit, quis veniae modus?
Clemens, parce, Trias, parce fatentibus.
Da, Prisci prece, mentem
Praeceptis docilem tuis.

AD IOSEPHI FRATRES.

EPIGRAMMA.

Nostis? et hic Ioseph. Quid turbat pectora vestra?
Scilicet una sibi conscia mens animi.
Ergo vel temet posthac addisce timere,
Culpae securum quem timor unus agit.

SAMVEL HELI TRADITVR.

DISTICHON.

Felix, cui vates tantus nunc traditur infans!
Sed canet hic vates tristia multa tibi.

Sol, contra Gabaon ne movearis.

DISTICHON.

Impia divino gens est devota furori.
Sistere, Sol. Caedis nec mora parva licet.

AD DIV. ANNAM.

DISTICHON.

Anna parens, foveant aliae sua pignora Matres.
Ast tu vix natum iam venerare tuum!

S. SPIRIDION DVPLICI CONSPICVVS PORTENTO.

EPIGRAMMA.

Infelix matri funus, puer ante iacebat:
  Mox puero funus Mater et ipsa iacet.
Quod puer ad vitam redit, angustum pia mater
  Experta est pectus, gaudia quo caperet.
Ergo nati inter vitales liquitur auras,
  Cui, contra votum nil posuisse, satis.
Caucaseae flessent alterno funere cautes,
  Flesset et a Siculis torva Charybdis aquis.
Sed bene Spiridion adscitur numen utrique,
  Spiridiou secli norma, decusque sui.
Namque suae natum potuit qui reddere matri.
  Et nato matrem reddidit ipse suam.

HEREMI CVLTORES.

DISTICHON.

Ardua caelorum sedes, qua tendimus ire.
  Inde per abruptas tendimus ire vias.

PASTOR BONVS.

DISTICHON.

Nec vos deficient fontes, nec pascua laeta,
Me ducente, Lupos nec metuetis, Oves.

MONILE S. MARIAE AB ARCV FVRTO ABLATVM PIETATE PVBLICA RESTITVTVM.

Impia per tenebras quod dextera surpuit, ecce
Virgo, tibi pietas publica restituit.

PER UN CIMITERO.

Mal distinto dall' empio il giusto visse.
Distinse morte
D' ambidue la sorte.
Ve' qui confuse
Nello stesso loco
Ceneri d' ambo ed ossa!
Ma del gran dì nella terribil ora
Niente all' empio comun col giusto fora.

SOLI DEO.

EPIGRAMMA.

Et rivi, et fontes, et aquarum quidquid ubique est,
  Defluit Oceano, redditur Oceano.
Nec tamen immissis quidquam hic exuberat undis,
  Nec quidquam emissis, detumet Oceanus.
Deque Deo quodcunque vides, quodcunque movetur,
  Defluit, inque Deum refluit omne bonum.
Et manet ille tamen, manet ipse ipsissimus: Ipsi
  Nil haec adiiciunt, illa nec imminuunt.

EXSVLIBVS. ARMENIS.

Pro Fide. Cathol. strenue. defunctis
An. rep. salut. 1828.

ELEGIA.

Salvete, o decus Armeniae, o pars addita nuper,
  Sanguine qui Christum sustinuere, choris!
Vos procul extorres egit rerum omnium egenos
  Turcarum rabies, qua nihil horridius.
Nec domibus contenta unis arcere paternis,
  Heu scelus! et vitae subsidium omne negat!

Hinc fessi rerum, functique laboribus, una
  Hostes per medios mortis aditis iter.
Barbarus haec vidit, sicco neque lumine vidit,
  Quo crimen nolens fassus et ipse suum est.
Hoc tamen ille putat misereri! Falleris, amens!
  Quin tu nunc potius iam miserere tui.
Nonne vides, quantus tibi, qualis et instat ab Arcto
  Iam labor? o equitum, quae peditumque manus!
Quos praeit ipse minax, arcum qui tendit ab alto,
  Omnipotens. Quo, quo numine, tutus eris?
Venit summa dies, et ineluctabile tempus,
  Quo te iam Lunae cornua deficiant.
Sintque tuae tecum Dirae, te non morer ultra:
  Armenios repetam certior ipse viros.
Nec multis porro mihi gaudia vestra moranda,
  Anxia quos caeli Curia tota manet.
Montibus in vestris iactata diu Arca resedit,
  Qua nostri clausae relliquiae generis.
Quid mirum, fidei labentis castra tueri
  Sanguine si vestro, nunc quoque sorte datum?
Pars vestrae haec laudis. Superat pars altera maior:
  Vos prece non dubia sollicitare Deum;
Vt foedo a nostris pulso cervicibus hoste,
  Vnum Pastori fiat ovile suo.

LIB. II.

MORALIA, ET DESCRIPTIVA.

PUERI POETICIS DISCIPLINIS INITIANDI.

EPIGRAMMA.

Parnassum petimus, pueri, ignarique viarum.
Ergo adsis pueris Dux Puer, atque Deus.
Namque puer nosti pueros, linguasque disertas
Efficere infantum tu Deus ipse potes.

IN IDEM ARGVMENTVM.

EPIGRAMMA.

Et puer incipiam teneros componere versus,
Et faveas puero tu, pia Virgo, tuo.
Aliger et faveas Custos cum Virgine, Patris
Cui faciem semper posse videre, datur.

His ego sideribus, scopulos evadere sperem,
  Quos raro Vatum credula turba cavet.
Aequore sub placido quot Scyllae, quotque Charybdes,
  Quantaque virgineo in cortice monstra latent!
Si faciem spectes, facie nil pulcrius illa;
  Si vocem, nihil hac dulcius aure sonat.
Moribus interea nec pestis tristior ulla,
  Nec virus nobis exitiale magis.
Sic medios flores inter latet anguis, et herbas,
  Sicque favos inter dira venena latent.
Atqui ego, si faveas, bone Custos, inter at omnes,
  Si faveas coeptis, candida Virgo, meis;
Musarum sine fraude puer libavero mella,
  Parnassi flores tutus ab angue legam.

AD UN PRELATO ZELANTE.

SONETTO.

Ohime! degli empî in preda il sagro tempio,
E la santa cittade oppressa geme!
Ohimè! qual veggio orrenda strage e scempio,
Disperso il gregge, ed il Pastore insieme!

E voi con vile non più visto esempio,
E voi tacete, o forti? o gloria o speme
Del santo loco! Ah! voi cedeste, e l'empio
In campo è solo, e ognor n' incalza e preme:

Pastor, così fra me dicea talora,
Quando scosse tua voce i sensi miei,
E l'empio scorsi di se stesso fuora.

È salvo, allor gridai, nè più temei,
Pastor, il tempio, è salvo. I forti ancora
Sono fra noi, e 'l Duce lor tu sei.

IL SECOLO

SONETTO.

Il bene, il mal, la verità, l'errore,
Virtude, e vizio alla virtude opposto,
Sono i noti elementi, onde composto
Ogni secol si mostra, e poi si muore.

Dall'estremo bensì, che appar maggiore,
È per uso a ciascun suo nome imposto
Di reo, di buon. Ma 'l bene al mal frapposto,
Col meno il più, tu scerni a tutte l'ore.

Togli del bene il nome, e tutto il male
Prendi di tutti in uno, ed oltre ancora,
Che d'adombrarne il ver, al fin che vale?

E grida, disse un saggio vecchio, ognora
Sì, che n'ascolti e cielo e terra: è tale
Il secol nostro, e tuttavia peggiora!

PRAVI POEMATVM IVDICES.

EPIGRAMMA.

Vt vinum, meliora dies sic carmina reddit.
Dicitur hoc; multis iudiciumque placet.
Ast alii, nullo quibus est mens pota Falerno,
Vinosum e vino iudicium esse putant.

IN VIRGINEM TARPEIAM.

EPIGRAMMA.

A laeva quod habent, poscit Tarpeia Sabinos,
Impia prodendi praemia sacra iugi.
A laeva quod habent, recipit Tarpeïa, pondus
Scutorum. Tali praemia digna fide!

MALE AB OTIO.

EPIGRAMMA.

Vt limosa palus obducit pascua iuncis,
Sic vitiis animos otia longa gravant.
Triste Lupus stabulis, teneris et frigora plantis:
Tristia sunt pueris otia longa magis.

AD ALEX. SYMMACH. MAZOCHIVM.

DISTICHON.

Quando alios lego, mî videor, meminisse legendo.
Symmache, dum lego te, me didicisse, scio.

ANGELO MAIO, CARD. AMPLISS.

EPIGRAMMA.

Quod tibi purpureos inter procedere Patres
Tandem, Maie, licet, gratulor ex animo.
Gratulor ex aequo Patribus, qui nunc tibi Fratres.
Caetu hoc tu dignus, dignus et ille tui:
Pace tamen dicam amborum: qui talia praestat,
Pontificum Praeses, dignus et ille magis.
Nam quae pro merito tribuuntur munera, dantis
Haec reputanda magis, quam capientis, honor.

ARTIS PALIMPSESTOR. REPERTORI

AD . RESTITVENDA . VETER . SCRIPTORVM
FATO . MALO . ERASA . IMMINVTA . MONVM
VIR . INGENII . SINGVLARIS
A . GREG . XVI . PONT . MAX
IN CARDINALIVM CONLEG. COOPTATVS

CHOLERA AN. 1837.

EPIGRAMMA.

De cholera nos saepe rogas. Nescimus, an, et quo
Momento, in miseros mors inopina ruat.
Inque diem non est ultra, ut vivamus, et horam.
Momentum, si quod vivitur, hoc satis est.

NICOLAO CIAMPITTIO PRO FRANC. DANIELIS EDITO

ELOGIO.

EPIGRAMMA.

Felices animae, queis sic laudarier abs te,
Ciampitti, mortis post fera tela, datum!
Namque satis docto notus Franciscus in orbe,
Per te stat fama clarior ipse sua.
Sic bene laudatis! Sed sic laudasse, decorum
Et tibi porro magis censeo, et utilius.

ACCEPTO GRATIA REFERENDA MAIOR.

EPIGRAMMA.

Aspicis, acceptum veluti cum foenore multo
Foecundis properent reddere semen agri?
Maior et accepto referenda est gratia danti.
Par, mercatorum est, reddere namque pari.

IN DOMVM CAMPESTREM.

EPIGRAMMA.

Sunt procul hic urbis, vesani et iurgia vulgi,
Non procul at felix, rustica vita licet.
Aulas despicio. Felix, cui sorte tributum,
Hoc aevi tempus vivere posse sibi!

IECVR MALE HABENS.

EPIGRAMMA.

Vos at quis docuit, Nili vix lingere fluctus,
Praecipitesque fugam sollicitare, Canes?
Scilicet infidis latitans Crocodilus in undis,
In vestrum numquam non vigil exitium.

Tu mihi vix caros sinis attrectare libellos,
  Libatosque, Iecur, iam procul abiicere.
O iecur, o Nili mihi plusquam horrentia monstra,
  Infestum iecur! oh! ite, valete, libri.

AD PETR. PAVLLVM BLVNDVM.

DISTICHON.

Carmina nostra Petrus laudat. Vult, me esse poetam?
  Si sit Mecoenas ipse, Poeta vocer.

AD TROIANVM MARVLLVM.

EPIGRAMMA.

Macte Marulle animo, numquam tua fama peribit,
  Tam bene qui patriae consulis historiae.
Nam, qui tanta virûm pereant ne nomina, curas,
  Ecquis non celebret? quî periturus eris?

AD VATEM NON SATIS CASTIGATVM.

EPIGRAMMA.

Sic tibi qui favit, faveat Thymbraeus Apollo,
Nasonis promptum cui dedit ingenium.
Nî modo declines ingratae taedia limae,
Qui fluis interdum nec memor ipse tui.

THERMOPILARVM PROPVGNATORES.

DISTICHON.

Iam fortes cecidere! Cave sed dicere victos,
Vincendi fessi, qui cecidere Viri.

AEDES SINE SOLE.

DISTICHON.

Sole carent aedes? citus haec inscribito: morbi,
Et medici, et gelido mors inopina pede.

QVA RATIONE A NVLLIS TIMEAS.

EPIGRAMMA.

Ne quemquam timeas, omnes tu disce timere.
Nil sapies, solus si sapis ipse tibi.
Si quidquam errasti, patiens, ultroque fatere.
Sic nullos timeas, omnibus ipse timor.

FERDIN. IABLONO ORAT. SACR. EX O. P.

EPIGRAMMA.

Quod pia gens iam tota tuo dependeat ore,
Nil miror, tibi sed gratulor ipse magis.
Quod tibi divelli non sustinet impius, etsi,
Te semel audito, iam sibi non placeat;
Hoc miror. Missum de caelo denique novi
Sic oratorem. Caetera praetereo.

AD IOSEPHVM RVFFVM.

EPIGRAMMA.

Non semel, aut iterum: septena pro vice veni,
De te, Ruffe, petens, te repetensque domi.
Tu mihi semper abes: numquam data copia fandi,
Et me pene mei iam pudet officii.
Hoc quoque crimen erit: nam quos fortuna fatigat,
Omnia, quidquid agant, omnia crimen olent.
Et me dente alius petit; et petit unguibus alter:
Hic furtim laqueos instruit; ille palam.
Tu vivas felix, vivas et Nestoris annos,
Immemor ipse mei, sed memor ipse tui.

MADRIGALE DELLO STESSO.

Fosco tu chiami dell' Acerra il cielo,
O graziosa Fille,
Che per lo splender di duo chiari Soli
Uop' è che chiaro brille.
Ma di quai Soli ho ragionato mai?
Fille, de' tuoi be' rai.

Auctoris versio.

Fuscas immerito vocitas nunc, Phyllis, Acerras,
Quae mihi fulgenti Sole nitent duplici.
At Soles nosti, mihi qui nunc mente recurrunt?
Bini, qui casta sic tibi fronte nitent.

Pro reditu eiusdem.

EPIGRAMMA.

Restitit obversus proficiscenti Aeolus. Atqui
Lenior ipse sequens, te redeunte, favet.
Ruffe, quid hoc? male abes mihi! Iugiter ergo
Adsis, procedant ut bene cuncta tibi.

ALOYSII RVFFI, ARCHIEP. NEAP.

Tricennalia.

EPIGRAMMA.

Tertia quandoquidem binae decas addita, vitae
Cui comes hinc virtus, hinc decus omne fuit;

Quid tibi, sancte Senex, nunc amplius augurer? unum,
Quod cuncti exoptant, quod Deus ipse probet.
Triginta, quibus advigilas, bone Pastor, ovili,
Anni, non ovibus, sat tibi at esse queant.
Nosti at, quot circum rabidi noctuque, diuque,
Incursant vigiles, ore inhiante, Lupi.
Serius ergo tuae ducantur stamina vitae,
Vel quantum arcendis hic satis esse queat.

ANTONIO IORDANO, V. C.

EPIGRAMMA.

Non laudes, Iordane, tuis ego laudibus addam,
Quae tibi nil prosunt, et mihi nil placeant.
Hoc unum optarim: patrio sic quemque decori
Consulere, ut patriae consulis ipse tuae.
Nec satis est mihi, si par in utrisque voluntas,
Ars nisi, pro reliquis, par sit, et ingenium.

AD FRIDERICVM ALVMNVM.

EPIGRAMMA.

De Musis me saepe rogas, quas noscere gestis?
Gratulor: at scopulos, haec, Friderice, colunt.
Palles? terga dabunt. Audes? occurrere cernes,
Excipere et laetis, plaudere et usque choris.

TEMPORVM INFAMIA.

EPIGRAMMA.

Scrinia quid faciunt, aptis digesta diaetis,
Et consignatis plena voluminibus?
Temporis opprobrium nostri, monumenta futura,
In Regem, et Leges ausa nefanda hominum;
Quos intercepit tacitis Vigilantia plantis,
Repressitque suo iure, manuque Themis.

AMICVS IMPORTVNVS.

EPIGRAMMA.

Quid porro fiet, mihi si te accedere amicum,
Accidat? hoc crebro, Candidiane, rogas.
Dicam: si male oles, mihi talis semper olebis;
Si bene, quamquam hostis, talis olebis item.

P. MELONIO. ORAT. SACR. EX O. P.

EPIGRAMMA.

Scripturas celebrans, nectis sic sacra profanis,
Doctius ut dici nil queat, aut melius.
Quod si mens hominum posset caelestia ferre,
Materiam aequasset, nî superasset opus.

MVSAE CONTVMACES.

EPIGRAMMA.

Vos peto? terga datis. Non quaero? occurritis ultro.
Parcite: et est vobis femineum ingenium.
Sed mihi nil vestrum est opus amplius. Ergo valete:
Applicui iam, quo cymba tenebat iter.

AL SIGN. GIOACCHINO ZORDA.

RISPOSTA.

Figlio dell'amistà, Zorda gentile,
  Dalla vena del cor più dolce e cara
  Movon que' grati sensi, ove s' impara
  Linguaggio ignoto al basso volgo e vile.

Linguaggio d' alto senno in terso stile,
  Di pura fede, e di modestia rara
  Fra' pregi illustri, onde superba e chiara
  Verdeggia la tua fama a mezzo Aprile.

Tu dell' amico nel tuo cor l' immago
  Segnata prima, co' color dipingi
  Di toscano pennello illustre e vago.

Pur l' amico non è quello che fingi,
  Nè quello, onde vai si lieto e pago.
  Sei tu quel *degno*, ch' in te stesso pingi.

PICTOR VVLGARIS.

EPIGRAMMA.

Reginam pingis? Sed nec vestigia prima
  Corporis assequeris, quod Venus invideat.
Quid si animum referas, tabulis quem nullus Apelles,
  Nullus et informet Tullius eloquio?

STVLTI SAPIENTES.

EPIGRAMMA.

Pauca quibus didicisse datur, quae contigit ipsis
  Discere, si nescis, te nihil esse putant.
Si quae tu nosti contra, quae ignorentur ab ipsis,
  Optima sint licet, et te nihili faciunt.
Quid facias his, qui sapiunt sic? Si sapis ipse,
  Et sapere hos dicas, sed sapere insipide.

ALIVD SCIRE, ALIVD LEGERE.

EPIGRAMMA.

Plurima legisti. Meministi singula. Verbo:
  Quae dixere alii, reddere cuncta potes.
De rebus si forte roget quis, at ipse tacebis.
  Crede mihi: hoc vomere est plurima, scire nihil.

SINE DIVITE VENA PARVM ARS PROFICIT.

EPIGRAMMA.

Omnia legisti, quae lectu digna videntur:
Optima quaeque manu nocte, dieque teris,
Amplius hoc. Nosti, quid in unoquoque sequaris,
Quid caveas. Laudo. Te tamen hoc moneo.
Carmina si tentes, culpa fortasse carebis;
Nî favet ingenium, laudibus at careas.

HECTOR DIOMEDI FRIGIDE INSVLTAT.

EPIGRAMMA.

Frigidus insultas Diomedi, nobilis Hector!
Aiacem expertus, parcere sed poteras.
Hic responsa dabit, quae non laetissimus idem
Excipies. Hastae nempe ferenda dabit!

VESVVIVS.

CARMEN.

Hic ubi ceratas versuti pectoris aures
Dedignata, salo nomen moritura reliquit
Parthenope: quo vasta patent longe aequora campi,
Stant contra, Tyrrheni intercedentibus oris
Aequoris extremis, colles, vinetaque passim,
Quae gestit genus omne suis Pomona beare
Muneribus, queis Flora sua et coniungere gaudet.
Mons ex adverso. Nomen Vesuvius illi.
Fumoso procul adparent de vertice Ditis
Ostia, qua domus, ut fama est, antiqua Cyclopum.
Huc illi chalybemque viris, magnoque Deorum
Tela parant Patri. Magna vi brachia tollunt,
Ictaque dat sonitum ferrato pondere massa.
Erumpunt longe summo de culmine flammae,
Incursantque polo, crepitantque bitumine crebro.
Obruit interea, liquentes, aethera campos
Caligo, mediaque micant iam fulgura nocte,
Queis Pater omnipotens caeli deiecit ab arce
Conatos olim super addere Pelion Ossae.
Fervet opus. Ruptis, montana cacumina fumant,

Obiicibus, qualique adversa cuspide adacta,
Panditur ecce Erebi domus omnis, et ima dehiscunt
Tartara. Quo videas vasta fornace liquentes
Et plumbi, chalybisque amnes. Huc vecta putares,
Quae mare, quae tellus abstrusis abdita venis
Concipiunt, servantque intus concepta per aevum.
Aestuat, et late loca fervidus omnia complet
Vortex. Excutitur somno genus omne ferarum,
Arescunt sata culta statim, vitesque maritae.
Obriguere omnes, ulularunt vertice Nymphae,
Hircanosque ferunt haec et sensisse Leones.
Qualis ubi hinc inde, evasis iam finibus, alveus
Turbidus imbre fluit, viresque acquirit eundo.
Quisque sibi metuit, lustratque pericula mente.
Mulciber assiduus flammis alimenta ministrat,
Horrendumque tonat, totamque exterruit Vrbem,
Alta bituminea iaculatus grandine tecta.
Tum vero Lunam, fulgentiaque astra videres
Pallida per noctem retro dilapsa referri.
Tenditur illa tamen, circum et Nili ostia septem.
Multa calescenti Lybiae se miscet arenae.
Ecce autem emensus tandem iam proxima rura
Igneus amnis adest, et litora cominus urit.
Ter ponti liquidas conatus flectere in undas,

Terque pedem retro tulit. Ingens imminet oris,
Cunctaturque, novis donec iam viribus auctus,
Influat. Hinc pleno Oceanum subit arduus alveo.
Quales Amsancti torpentia stagna, Mephites,
Dum fervent, surgit fumosus ad aethera nimbus,
Arboribus, pecorique lues; sic murmurat unda
Aestuat, et fugiens inimica elementa, recedit.
Pars abit in pontum; pars se se attollit ad auras,
In tenues invita, fremens, resoluta vapores.
Aequoreum mugit pecus: imo e gurgite Protheus
Clamat, et insequitur fugientes aequora phocas.

Tum vero exoritur clamor, gemitusque virorum,
Feminei et resonant ululatus undique, donec
Succedat pietas animo, pacemque precari
A superis, statuant, Superis nam cura piorum est.
Nec mora: templa adeunt, lacrimisque calentibus instant,
Et foedare genas, et tundere pectora palmis.
Non secus e puppi luctantes navita ventos
Postquam suspexit, tempestatemque sonoram,
Et quo se vertant, anceps, Notus acer, et Eurus,
Sistitur, et tacito condit sub pectore curam.
Naviget, et quo monstrat iter fortuna, sequatur?
Aut emensa magis pertentet itinera rursum?

Post ubi conspexit, praecingi nubibus altum,
Igne micare polos, misceri fluctibus aequor;
Tum vero adsurgit supplex ad sidera clamor,
Et sua quisque sibi externatus numina poscit.
At seras etiam, quid enim non vota precantum
Efficiant? quid non speret miserabile vulgus?
Audiit ille preces, magnum qui torquet Olympum,
Et quo tendebant, vetuit procedere, monstra.
Diffugere umbrae, redduntur sidera caelo,
Et face tergemina litus rutilavit Eoum,
Hesperiumque latus, digitoque coercitus amnis.
Haud secus imbelles capreas, cervosque fugaces
Si quando praeceps Hircana per avia Tigris
Insequitur, rabidoque furens iam dente potitur:
Tum si forte cavo surgens inopinus ab antro
Prosilit insignis pharetra venator, et arcu,
Sistitur, et pharetram pictam, fulgentiaque arma
Admirans, iras ponit, pavor occupat artus,
Nativumque petit cedens, praedae immemor, antrum.

MICHAELI ARCHANG. LVPVLO PRO MVTILO CORFIN. TITVLO.

ELEGIA.

Tarpeiae rupes, invisaque moenia Romae,
Et grave Romulidum nomen in omne caput;
Non ego, non ferar Italiae regina per urbes:
Non placet exemplis fama petita tuis.
Ipsa tamen, vindex ego libertatis avitae,
Incedam, Italici foederis una caput.
Non ego servitium memorem, turpesque catenas:
Servitum satis est, et meminisse, pudet!
Dixerat; Italidumque omnis subnixa lacertis,
Corfinium Romae tristia fata canit.
Quid non exhaustum hinc est sanguinis, inde malorum?
Iam propior victis victor et ipse fuit.
Corfinium sed enim cessit. Sic fata ferebant!
Cessit, at in famam perstitit illa suam.
Nam steterunt arces, steterunt et moenia, molisque
Amphitheatralis gloria tota stetit.
Aequataeque vices, aequataque foedera. Victos,
Victoremque inter damna repensa satis.

Sistere quin magni potuisset Caesaris arma,
Dux nisi militibus deerat ipse suis.
Quid tamen, heu! miserum, tantum exantlasse laborum
Profuit, et tumidum tollere ad astra caput?
Vis longe maior populis, atque urbibus instat,
Quàm nulla infringant tela retorta manu!
Hora fugax, seclorum et ineluctabile pondus,
Sera, sed humanis certa ruina tamen.
Nam quid Corfinii reliquum de nomine tanto,
Annorum post tot tempora, totque vices?
Adparent rari, vasto velut aequore nantes,
Diffracti Lapides, reliquiae titulûm.
Vel sic nec spernenda penus, si magnus Alexis
Afforet, et medicas tenderet hisce manus;
Quo Campana tumet moles rediviva per aevum
Laetior, et nullo iam peritura die.
Hausit at hunc etiam hora fugax. Ille occidit, eheu!
Nulli flebilior, quam tibi, Corfinium.
Sed bene res habet. En surgit nunc alter ab illo.
A laeva intonuit. Surgite Pontifici.
Hic Lupulus. Novi vernantem flore iuventae.
Mitte annos: illi nil iuvenile fuit.
Conspicuus iam tum, docti sibi sumpsit honores,
Assuetus doctis inter et esse choris.

Et certus mutilo pridem succurrere frusto
Corfinii, institerat, suppetiasque tulit.
Quod poterat iam tum felix, faustumque videri,
Et teres, et plenum dedaleae artis, Opus.
Non ita sed Lupulo visum, quem plenior aura
Implet, et a magnis ad meliora rapit.
Ergo, quod exactum quacunque ex parte videri
Tum potuit, iam nunc ecce retentat opus.
Et nova praeteritis facies inducta, novaeque
Olim congestis accumulantur opes.
Quo tibi pauca canam, tibi nec sim vanus haruspex,
Plurima cui lauro tempora sacra nitent:
Campani stet honor tituli; stet fama perennis.
Corfinii titulus proximus insequitor.

OH. BAPT. VECCHIONI A NEGOT. ECCLESIAST.

EPISTOLA.

Baptista, imperii qui magna negotia curas
Publica, et hoc maius, relligiosa simul:
Qui formam praeter, iuveniles praeter et annos,
Caetera quaeque tuo nomine digna refers:

Accipe, te quando mihi bis data copia nosse,
Quae mea mens animi pro vice utraque fuit.
Prima visa mihi terras Astraea relinquens,
Dedignata homines, ardua, torva, minax.
Altera at haec eadem visa est demissa superne,
Qualem Saturni secla beata ferunt.
Admissum verbis adeo solaris amicis,
Dimissumque, quater sidere, terque iubes.
Cui credam interea? si neutra fefellit, utrique,
Quae terram petiit, quae repetitque polum.
Quandoquidem alterutri comes est sapientia visa,
Sanctus honos, et cum relligione fides.

VIRO AMPLISS. IOSEPHO ZVRLO

HENDECASYLLABI.

Zurle, non bene sat tuo clienti est,
Quin male, haud bene te valere saepe.
Hoc non inde tibi cani, arbitrator,
Quod quaecunque vales, vales amicis,
Queis valens male, non potes valere.
Sed male est, mihi non valere belle,
Quem valere volo usque, porro, et usque,
Et Regi, et patriae, sibi, suisque.

At quodcunque tamen, mihi hoc ferendum,
Qui vitaeque vices, statasque leges
Naturae didici esse perferendas.
At si quando domi gravedo, tussis,
Zurle, detineant, tuo clienti
Cur nec visere, nec datum rogare
Coram, qui valeas? male et valere,
Vnde contigit, ut solent amici?
Tam sancti-ne Lares? ego an profanus?
Non belle id mihi cum meo patrono est:
Non hoc frigore, et esuritione
Concoquat stomachus tui clientis,
Quamvis caetera quaeque nil morosi.
Ergo vel meus esse desinas deinde,
Quem, si non valeas, nefas adire est;
Aut semper valeas, tibi est necesse,
Quem porro nec adire, sit necesse.

LONGAEVITATIS AVGVRIA INEPTA.

DISTICHON.

Quid mihi commendas, quid et optas Nestoris annos?
Non, bene qui moritur, vixit et ille diu?

FRANCISCO BORBONIO, SICILIAR. REGI

EPIGRAMMA.

Praedixi, Vrsini te olim Chironis alumnum,
Aeaciden bello, Nestora et arte fore
Victurum regni! Francisce, ego verus haruspex:
Vtrumque implesti, votaque res superant.
Quid tibi nunc optem, tua dum festiva recurrunt
Annua de magnis omina nominibus?
Nil tibi: parce precor. Tibi nil opus amplius. Annos
Sed nobis, opto, Nestoris ut superes.

MARIANO MONTEFVSCO

EPISTOLA.

Tantane te nostri, Mariane, oblivio cepit,
Vt neque si vivam, nec quo sub sidere caeli
Vivam, sciteris, nec quae me detinet ora?
Vsque adeo-ne piget nostri meminisse, praeiri
Officio ut cupias semper? numquam obvius ultro
Occurras? velli tibi semper oporteat aures?
Dic age, nam tibi non sine pectore corpus, et aequum
Vna, et ius nosti: quo demum foedere amici
Inter se coeunt? aequo-ne putas, an iniquo?
Aequo nempe voles, si quidquam distet amicus
A servo. Recte. Te nunc teneo, atque tuo te
Iam mucrone petam. Nisi terque, quaterque rogatus,
Scilicet aeternum sileas, victusque pudore
Officio sic te reddis, veluti aere gravis, quem
Nî rapias, solidos frustra expectaveris annos!
Non tibi talis ego; quamquam et mihi sic quoque carus.
Sed cave, ne fortasse minus, nisi et in hoc quoque fallor.
Ad se nunc revocat Domus. Et res plena laboris,
Quaeque mihi loculos leviores äere fecit,
Non equidem hoc crasso nostro, quo mille vagantur

Hac illac atomi fluitantes, corpora vana;
Verum illo tenui prorsus, vacuoque Renati.
Sed tamen utcunque (haud etenim intractabile vulnus
Tractare, est animus) nil, quod desideret ultra,
Artificum est. Iussi pridem hi sua quisquis habere.
Vno eget incolumi Domino, salvis et amicis.
Accipe nunc paucis deformatam, inde valeto.
Ad Solem recte, media cum sistitur arce,
Respicit. Assurgunt circum per amoena locorum
Vitiferi colles, oleaeque, et munera passim
Pomonae, et laeti irriguis cum fontibus horti.
Parva, sed apta mihi, paucisque sodalibus apta.
Sat contenta sui, hoc unum non laeta: dicatam
Quod sine te, sibi, te sine, contigit hactenus esse.

VIRO AMPLISSIMO, IOSEPHO ZVRLO.

Ianitor, *et Poeta*.

EPISTOLA.

Po. Scin? quartum pedes huc redeo! via non brevis: imos
Diffluit ad talos sudor de vertice: nullum
Suppetit arbitrio tempus; mea sunt mihi namque
Pensa diurna, queis nulli, salvo officio, me
Absolvant homines, qui me teretem, atque rotundum
Esse volunt totum. Dominum nec multa morabor
Praeterea. Satis est horae pars quantula cunque.
Iussus ad haec venio, quod te meminisse volebam,
Quo nuper delata mihi haec sunt iussa sequestro.
Ian. Nempe ais! et memini, et fateor. Tu vellere parcas
Auriculam. Vsque adeo-ne mei immemor? immemor immo
Vsque adeo-ne tui, rerum dulcissime? dudum
Novi hominem. Tua te virtus mihi fecit amicum.
Tangere sic raro, sancteque haec limina vidi,
Quantum vix satis officio est!
Po. At, amice, beas me,

Talia qui narras nil de se tale putanti.
Non impacati durus tu ianitor Orci,
Quem miser offendi nuper! Vix fuste saligno
Abstinuit, torvis oculis, et fronte minaci.
Dî, caput a nostris procul hoc avertite somnis!
Tanta tibi comi subridet gratia vultu,
Liminibus quantum satis advigilare Dearum.
Sed volat hora. Sinas. Dominum accersitus adibo,
Arripioque viam. Tenet hic, et contendere frustra,
Admonet. Hui! quid ita? an mecum sic ludere gestis?
Ian. Ludere nec tecum, est animus, neq ludicra res est.
Mane mihi primo Domini haec oracula lata:
Ingreditor nemo. Graviora negotia, quaeque
Sit differre nefas ultra, tractanda. Redire,
Si cui opus, liceat.
Po. Sed et, heus bone! quando licere
Id mihi posse, putas? tendis tu talia semper,
Tendis, et ad liquidum nihil est perducere quidquam.
Ian. Cras equidem. Sic censeo. Quis vetat? oreque mella
Tanta fluunt, quanta Hyblaeos vix condere credas
Posse favos.
Po. Verum, quando id per te licet, unum
Non mihi *cras* debes, sed plura. Deinde
Et debebis plura, rotam et versabis eamdem.

Aedibus adpicto cauponem carmine novi,
Emptores solitum vafre sic ludere siccos:
Nil hodie, nisi praesenti licet emere nummo.
Non ita cras. Eadem et perstabat mane tabella,
Vt si quem loculis vacuum sors truderet illac,
Hic se praesciret rediturum ventris inanem.
Nec sibi verba dari lusus semel hospes, hiante
Cum stomacho, sineret, noto iam carmine amici.
Tu quater accitum, quater hinc abscedere cogis,
Demissa auricula, pronae ut cervicis asellum.
Tuque adeo valeas, bone Ianitor! Haud mihi tecum
Res porro est ultra, nostraeque aeterna crumenae
Pax esto. At non idcirco sic missus abibis
Interea, ut capitis quavis mercede solutus,
Impune exultes. Ternas do; do tibi binas.
Prima mihi satis est. Quota pars haec denique tanti?
Ian. Quaenam haec?
Po. Sed frustra rogitas. Te namque latere,
Omnino est operae pretium. Vix noveris, omni
Foenore iam liber, ceu nexus, carcere fracto,
Insulsum merito salsus ridebis amicum.
Vnum hoc: quam primum Domino, nam seria res est,
Si tibi cura tui, haec tradatur epistola nostro.
De reliquis, alio tecum mihi sermo redibit.

MORS VITAE MAGISTRA.

DISTICHON.

Criminis expertem cupias si ducere vitam,
Quod cupis, in promptu est: saepe memento mori.

ANIMI BONA ABSVMIT LIBIDO.

EPIGRAMMA.

Heu! quales, quantosque exurit Syrius agros!
Herbaeque, et passim culta vireta iacent.
Sic ubi luxuriae pervasit flamma medullas,
Et iuvenes aestu fervidiore calent;
Et vis illa animi, virtutum et semina pura
Arent, et vitae disperit omne bonum.

SVIS QVISQVE CONTINETVR OFFICIIS.

DISTICHON.

Vt stabulis coguntur oves, ut flumina ripis,
Sic et quisque suis cogitur officiis.

VIRTVTIS IN HAC VITA MORTALI MODICI FRVCTVS.

EPIGRAMMA.

Virtuti comites miramur pergere laudes?
  Miremur, quod eat corporis umbra comes.
Miremur, parcos illi contingere fructus,
  Quos plena vitium carpit utraque manu.

FICVS, ET SORBA.

EPIGRAMMA

Cui teres a scissa destillat lacrima veste,
  Quamque vides sicco stipite deciduam,
Ficus ego, et gustu iam melle suavior, et quae
  Adnector ramo firmius ipsa meo.
Sed mala sorba rubent pulcherrima: parce, viator!
  Asperior pulcro conditur ore sapor.
Sic nullo gaudet virtus, aut paupere cultu,
  Dum nitidis vitium corticibus tegitur.

IN GALLICAM CLASSEM.

EPIGRAMMA.

Qui mare, qui terras infesto Marte ciebat,
Ausus et in summos bella parare Deos;
Infelix! Anglo disiectus turbine Gallus,
Niliacis en iam piscibus esca natat.
Currite securae puppes, iam currite, puppes:
Non Bona pars, Classis Gallica tota perît.

ALLEGORIA.

EPIGRAMMA.

Ardua praerupti surgens de vertice montis,
Subiectas umbra Palma tegebat oves.
Ferte faces, Pastor clamat, iam ferte secures,
Haec caput in nostras erigit arbor oves.
Palma quidem cecidit: montis tamen ipsa ruinam
Traxit, Pastoremque obruit, atque gregem.

ENIMMA.

SONETTO.

Di cieca madre irrequieta figlia
Io vidi: ed è la figlia madre anch' ella,
Ma di figlia però veggente e bella,
Cui nulla in sua beltà vince, o somiglia.

Nata appena costei, ecco s'appiglia
Ed ava e madre insieme, e questa e quella,
A spegner tosto risoluta e snella
Con ridenti serene immobil ciglia.

Mirabil cosa! d'ambedue la morte
Opr'è d'un colpo sol! ch'incontro a tanto
Scudo non valse mai, nè ingegno o sorte.

Pur la vaga crudel e merto e vanto,
Non danno o biasmo avvien ch'indi riporte.
Chi è la figlia, la madre, e l'ava intanto?

IN SVI IPSIVS EFFIGIEM.

EPIGRAMMA.

Talis eram, cum me gravis, annisque aucta duobus,
Sexta decas premeret. Caetera praeteream.
Quod nil speravi, timui nihil. Obstitit inde
Invidia, haud nocuit: profuit illa magis.

IN ICONEM ALOYSII LEFEVRE.

EPISTOLA.

Talis eram, secli quando pertaesus iniqui,
Constitui Christi quaerere militiam.
Quod duce sub tali vincam, nisi castra relinquam,
Sertaque victorem non peritura manent.

INEPTA LONGAEVITATIS AVGVRIA.

DISTICHON.

Quid mihi commendas, quidve optas Nestoris annos?
Non, bene qui moritur, vixit et ille satis?

AD CAIETANVM CARCANIVM V.C.

EPIGRAMMA.

Dum Patris historiam scribis, praeclaraque facta;
  Carcane, quae nulla sint minuenda die;
Te nato dignum genitorem ostendis, et una
  Te dignum tanto iam genitore probas.
Sed facis incertum, natùs tali anne parente,
  An tali nato dignior ipse pater.

PRO DIE τῃ ονομαςικῃ IOSEPHI ZVRLI.

EPIGRAMMA.

Sic tibi, quae signata tuo de nomine venit,
  In longum, Ioseph, fulgeat alba dies!
Non satis hoc: maiora animus meditatur, et optat,
  Quaeque ministerio sint magis apta tuo.
Hebraeo quantum tellus Aegyptia alumno,
  Debeat et tellus haec quoque nostra tibi.

AD EVMDEM

OPERIS NVNCVPATIO

EPIGRAMMA.

Hoc quodcunque tibi nunc, Zurole, sistimus, olim
  Nosti, quam modicis rivulus ibat aquis.
Iam plusquam rivus, iustoque simillimus amni,
  Laxato hinc pariter margine, et inde suo.
Quid, si in eum obstructos licuisset ducere fontes,
  Quos arcent nostris invida secla labris?
Dîs aliter visum, quorum sub numine secla,
  Seclorumque vices currere, quem lateat?
Sed rivi interea, atque amnes, et quidquid aquarum est,
  Illuc, unde fluit, denique flectit iter.
Quid mirum idcirco, Aeclani si rivus, et amnis
  Te patrem repetant laetus uterque suum?

AD DVCEM VENTINIANI.

EPIGRAMMA.

Vatem mirati, Musis, et Apolline dextro,
Te modo suspicimus, Ventiniane, Sophum.
Sed Musas inter nuper certamina nata,
An Sophus hic Vati praestet, an iste Sopho?
Parcite, Pierides, et alumno parcite vestro:
Vates eximius, maior at iste Sophus.

AD MARCHIONEN BLANCVM, V. C.

EPIGRAMMA.

Enni, tu sextus pavone abs Pythagoraeo?
Delirat Samius, stertis et ipse, Pater!
Respice sed Blancum, Iuvenalem et respice contra:
Hunc dices in eum transiliisse magis.

PRONVS IN VITIVM BONI MINIME TENAX.

EPIGRAMMA.

Vt cribrum inferne emittit, quas forte superna
De parte excepit, quam properanter aquas:
Haud secus in vitium pronus demittit ab una,
Ex alia quidquid suscipit aure boni.

COLLEGII MEDICO-CHIRVRGICI

ALVMNI PRO LINGVAE LATINAE PERICVLO FELICITER EXANTLATO

EPIGRAMMA.

Res salva, o Socii: sancti nunc limen *Honoris*
Ire coronatos, atque redire, licet.
At quibus interea stabit votiva tabella,
Evasis iterum syrtibus, et scopulis?
Hic adsunt ipsique duces, ipsique parentes,
Quos penes arbitrium, iudiciumque fuit.
Sic summa Arcitenens indixit ab arce, ratumque
A laeva fecit Iupiter ipse Pater.
Quis tabulam at figet? *Charites*. Hac scilicet una,
Musae conclamant, sancta ferenda manu.

LABORIS PERSEVERANTIA.

DISTICHON.

Durate, o Socii: virtus quaerenda labore est.
Nil sine difficili vita labore dedit.

IN AMICI BIBLIOTHECAM.

EPIGRAMMA.

Quantum hic congestum thesauri est! utere, si vis.
A Domino gratis iam tibi gaza patet.
Vtque aliena tibi, furti sine crimine, carpas,
Quodvis porro animo carpito, parce manu.

NEMORI—CVLTORES.

EPIGRAMMA.

Hic armis, aulaque procul, procul urbe, domoque
Per nemora, et saltus discimus ante mori.
Nec quisquam aetheria speret se vivere in aula,
Qui non hic didicit providus ante mori.

VITAE TEMPVS IRREVOCABILE.

EPIGRAMMA.

Ordine qui certo decurrunt, temporis annos,
Certo restituit tempore certa dies.
Quae semel at nobis decurrunt, tempora vitae,
Nullo restituet tempore certa dies.

VIRTVS VNA STABILIS.

EPIGRAMMA.

It Sol, atque redit, surgitque, nec occidit idem,
Cunctante interdum, nunc properante die.
Sola manet virtus, constans eadem sibi, fato
Seu superante bono, seu superante malo.

VITAE MORTALIS IMAGO.

EPIGRAMMA.

Aspice, nativo serpens ut margine rivus
Defluit, undoso non procul Oceano.

Ad ripam pueri, ad ripam luduntque puellae,
  Mollis et ad ripam pota quiescit ovis.
Aspice sed vastum qua sese immittit in aequor,
  Nativas et cum nomine ponit aquas.
En ubi ripa? ubi sunt pueri, facilesque puellae?
  En ubi securo in litore molle pecus?
Rivus et id vitae est, quod vivimus; omnia ludus;
  Aeterno et rapitur rivus hic Oceano!
Interea sequimur rivi hoc in margine, quae nos,
  Tulle, per aeternas nulla sequentur aquas?

PHILIPPO VRSINO, DVCI GRAVINATI.

ELEGIA.

Magnum opus! Vrsinae meditabor gentis honores,
  Armipotens regum ducitur unde genus (1).
Nec tamen a prima repetentur origine laudes,
  Vt mihi per centum secula sudet equus.
Vrsinae quisquis famae numeraverit annos,
  Ille perenne tuum, Sisyphe, figat opus.
Tu modo, Regum altor praeclare Philippe tuorum,
  Nobile tam clari sanguinis ipse decus;

(1) Mor. Diction. T. Huitième. Lettr. T. Z.

Adsis, et timido facilis da vela poetae:
  En quodcunque vides, hoc tibi surgit opus.
Surgat opus, primum quaeratur et omen ab armis,
  Plurimus Vrsinis additus inde decor.
Aspice, quam crebro Sulmo gemit ariete pulsa;
  Aspice iam valida moenia capta manu.
Victorem quaeris? Valeri tu suspice pectus,
  Pelignos adigit qui nova ferre iuga (2).
Arduus atque alia surgit de parte Camillus,
  Nobilis et tantae pars quoque militiae (3).
Robur idem, mens una animi. Discrimen ab illo
  Si quodcunque fuit, sortis id omne fuit.
Fracta tumescentis testantur cornua Lunae,
  Infesta Adriacis cornua semper aquis.
Ardua nec tantum ferre Ostrovisia robur
  Sustinet, at fessum praebet inulta latus.
Prosequar. Hic locus est, magni quo Gallicus Vrsi
  Sternitur incautus captus ab ungue Leo (4).
Ille, triumphato, victricia signa, Leone,
  Victor ad Alphonsi regia castra tulit.

---

(2) Paul. Iov. Hist. L. XXV.

(3) Mambrin Roseo. Comp. Stor. Regno di Nap. P. II. L. 3.

(4) Carrafa Stor. Reg. di Nap. P. I. L. 8.

Sed mihi, quamquam alias properem decurrere metas,
Non est Virginii fama tacenda tamen (7).
Quam bene Virginius feralia signa Tuneti
Advehit impavidus, lintea plena decem!
Haec quaecunque venit Tyberina Classis ab Vrbe,
Advenit in famam, Carole magne, tuam.
Nec metuat tanto talis sub numine ductor,
Obsistant animo nî sua fata tuo.
Testes Barbarico spumantes sanguine fluctus,
Et centum valida rostra subacta manu.
Barbarus, a rubra veniunt cui nomina barba,
Christiadum nuper Barbarus ille timor;
Vix sibi magnanimi cavit victoris ab ira,
In patriam abscedens Ariadenus humum.
Bella satis tetigi: pacis nunc munera poscam.
Est suus Vrsinis hac quoque parte locus.
Ferte rosas, pueri; plena date lilia dextra,
Et placida intonsas cingat oliva comas.
Dicam ego servatas Vrbes, auctore Latino (8),
Regnaque ab armorum reddita tuta minis.

---

(7) Class. Pont. Praef. Murat. loc. cit. an. 1535.

(8) Leg. Pii II. ad Alph. Arag. Reg. Fil. *Spondan.* Ann. Eccles. an. 1458.

Te quoque Napoleon, iuvenum fortissime, dicam,
  Napoleon vinclis nuper adempte tuis (9).
Te duce, victorem contundit Tybris Hiberum,
  Vincula non summi passus inulta Patris.
Qualis in incautum praeceps ruit Vrsus ovile,
  Instructis nuper victor ab insidiis;
Et tua, Napoleon, talis ad fulminis instar,
  Hesperii damno dextera visa gregis.
Dum potuit, nec posse viro sua fata negabant,
  Iulius Albana servat ab Arce locum
Quod cessit, virtus animo non enthea deerat,
  Virtuti deerat sors inimica magis.
Et tamen hanc sortis, domitor prope sortis et idem,
  Iulius impunem non sinit ire notam.
Disiectas arces, et fortis moenia montis
  Aspicis? ultoris suspice signa Ducis.
Non ego Iordani referam, non pectora Paulli,
  Non ego, non centum nomina nota virûm.
Optarim potius, quot aguntur in aequore fluctus
  Dicere, et obliquus quot capit astra Polus.
Quot foecunda parens tellus animantia gignit,
  Aethere quam variae, quaeque vagentur, aves.

---

(9) Murat. Ann. d'Ital. t. X.

Vos ego, Pausilypi colles, vos alloquar, et te,
  Mergellina, patri proxima lympha mari.
Ille tuis Martem placidis avertit ab oris,
  Vtque tuo flueres certa, dedit Domino.
Fernando iam certa fluas, sub nomine tali,
  Mergellina, tibi sat bene, dixit, erit.
Dixit, et a laeva plaudens illuxit Olympus,
  Dixerat, et plausit parte ab utraque polus.
In tantum famae venit Nicolaus honorem,
  Quem par *Compositi* nomine fama notat,
Vt qui iam promptas duo maxima fulmina belli
  Duxissent Reges saeva per arma manus;
Foedere post facili stent, Romulus inde Rodulphus,
  Carolus hinc nostri gloria magna soli.
Tu quoque, tu tantum supplex venerabere patrem,
  Omen quae florum florea et ipsa geris.
Nam tibi cum miseros ageret discordia cives,
  Sanguineisque anceps curreret Arnus aquis;
Pristina rixarum delevit semina prudens,
  Fraternoque animos foedere composuit.
At, Benedicte, tuas quali nunc carmine laudes (10)
  Exequar? ingenio deseror ipse meo.

---

(10) Nat. Alex. Hist. Eccles. Sec. XIII, Art. 10.

Deficit immani tenuis sub pondere cymba,
Deficit ingenti sub strue asellus iners.
Attamen ut potero, virtuti sedulus addam,
Nulla dies laedat, quae monumenta, tuae.
Tu pietatis opus, vindex tu maximus aequi,
Tu sacer intactae relligionis honor.
Te duce, non ullas verita est animosa procellas,
Parva licet premeret naufraga cymba freta.
Ergo qua surgit roseis aurora quadrigis,
Quaque sub occiduo mergitur amne dies.
Qua dirus gelida Boreas insaevit ab Arcto,
Quaque tepet crebris plumbeus Auster aquis;
Aeterni, Benedicte, tibi sacrantur honores,
Famam nulla tuam negliget historia.
Illa tui primaevus amor, supremaque cura,
Quam rigat hinc Sabatus, proximus inde Calor;
Romanis etiam ponet certamina clivis,
Perque tui laudes clarior esse volet.
Argumenta sagax aeris caelabit, et auri,
Quae referant laudes, et benefacta tua.
Haerebit tamen in titulo: an fortasse parenti,
Vel magis inscribat Pontifici illa suo.
Vt tamen apta tuis sint utraque nomina factis,
Et fato coeant utraque iuncta pari;

Dulcius at grato primum illud in ore sonabit,
  Primumque optabit verius esse suum.
Pauca haec de titulis, quae priscae gloria gentis,
  Non semel extremo vix procul exitio.
Napoleon puer, una domus spes, unicus ignis,
  Purpureique nepos unica cura senis;
Deturbatus equo claudebat lumina luci,
  Lumina Lethaeo sparsa sopore miser.
Surge, puer, Gusmanus ait, nam tempora somni
  Non sunt ista tui. Surgit et ecce puer (11).
Natura obstupuit: falcem mors torva retraxit,
  Et regni indoluit iura minuta sui.
Regia sed properata dein sunt funera, Regis
  In Paullum rueret ne violenta manus (12).
Parva quidem, sed grata tamen, sed debita tandem,
  Attulimus proavis liba, Philippe, tuis.
Te mea nunc propius festinat poscere musa,
  Ingeniumque tibi iam litat omne meum.
Nam generis pretium non certe inglorius ipse
  Accipis, et nullo foenore segnis habes;
Vt quas finitimis haurit de fontibus, undas
  Condit in ignoto gurgite avara palus.

---

(11) Bolland. art. 55. T. I. Aug. pag. 579.

(12) Summont. Stor. Città e Regno di Nap. L. V. T. 3.

Qualis at Oceano qui defluit amnis, in ipsum
Ditior, acceptis undique, currit, aquis:
Sic tu cum proprio incedas iam dives honore,
Ditior in clarum refluis usque genus.
Nam tibi non animi desunt sub pectore firmi,
Quos firmat virtus plurima consilii.
Et quamquam facilis primos natura ministret,
Sed tamen alterius gloria tota tua est.
Et tibi cum primas dederit Fernandus in aula,
Praetereat nullus quo sine flore dies;
Parcis, et ignavae dedignans otia vitae,
Splendida sollicitae Palladis ausa legis.
Hospes et hinc Orbis varias inquiris in oras,
Certa parans vitae sic documenta tuae.
Hospes, abi! Sic certa domum te sidera reddant;
Et tibi Scipiadum splendida norma patet.
Docta manus praemonstret iter. Prima haec fuit illis
Fama. Tibi aeternum sic quoque nomen erit.
Namque hominum mores, variosque ediscere cultus,
Mentem auget, vitam fingere datque suam.
Et tamen hoc pueri caput impetit impius, et iam
Obliquis oculis dextera signat iter.
Mens horret, refugitque ausus memorare nefandos,
Et tantae pectus dicere nequitiae.

Excuso micat igne silex: iam plumbeus instat,
  Sulphure torquendus concrepitante globus.
Quis furor in puerum, nullum cui robur inesse,
  Hoc natura ipsum praesidio esse, dedit?
Hoc intenta tamen sunt in caput eminus arma,
  Nec pudor innocui sanguinis ullus erat!
Ast intenta tamen sunt, Dîs renuentibus, arma,
  Experta est audax irrita tela manus.
Nunc tibi Parthenope curvo de litore surgit,
  Apta coronatas comiter aucta comas;
Vt nova, quae cupido coniux parat ire marito,
  De toto spirans corpore delicias.
Olli Sebetus sua se se in cornua tollens,
  Lenius a dextra plenus honore venit.
Nec minus adsurgens nativo e margine laevum
  Mergellina terit, mitior unda, latus.
Prosequiturque suis rorans Galatea quadrigis,
  Alpheique cavens inde Arethusa minas.
Nec tua grata minus recolunt benefacta, Philippe,
  Quam sua Chironis Thessala terra senis.
Thessalus a teneris Chiron educit Achillem,
  Vnde stat Haemonii fama superba soli.
Nec tamen externam metuat, te sospite, famam
  Tellus nostra! Vni vix litet ista Iovi.

Nam te cum tener altorem Franciscus honoret,
  Pendeat atque tuo regius ore puer;
Ille vel ardentem bello superarit Achillem,
  Nestora vel regni vicerit arte senem.

ADOLESCENTIAE SOMNIA.

ELEGIA.

Dî faciant tandem, nec sint insomnia vana,
  Exciit hesterna quae mihi nocte quies!
Te modo, cui clarum de nomine ducitur omen,
  Et frontem exornat Pontificale decus;
Laus erit, ad nostras modicum descendere musas,
  Dum tibi summa brevis redditur historiae.
Insopita mihi curarum fluctibus acto
  Nox procedebat: tum levis ecce sopor.
Pronaque iam tremulis properabant ignibus astra,
  Aurora et flavis iam properabat equis.
Protinus ante oculos visus consistere nostros
  Insignis facie, caesarieque puer.
Candidus, et multo veniebat gratus odore,
  Temporibus lauri, plectra canora manu.
Et Phoebum facile novi haud ignotus alumnus,
  Et nostris digitos inserit ille suos.

Hinc nostram tacitus sortem miseratus iniquam,
Pectora demulcet talibus aegra notis.
Te-ne, sacer vates, nostrum non ultima cura,
Arbitriis agitat gens inimica suis?
Inde tuos macies totos dominatur in artus,
Inde brevis vitae semita facta tuae est.
Nec tibi sunt ultra nostra, eheu! munera curae,
Omnia nec famae tam bene capta tuae.
Non tu Divorum foedasti sanguine sacra,
Ausus et in caelum verba profana loqui.
Improba quod falso signarit crimine mores,
Improba non ulli lingua inimica bono;
Est rumor pronis captus mox auribus, atque
Intentata licet, credita fama tamen.
At si quem contra verax ad sidera fama
Tollit, et a longo tempore partus honor;
Non faciles adeo praebentur laudibus aures,
Vix patitur meritos invida turba sonos.
Atqui ego, fatorum leges, sortesque futuras,
Cui Pater interdum posse videre, dedit;
Proloquar: ipse meam, si forte tuae integra vitae
Tempora sufficiant, experiere fidem.
Corruet imperii non amplius aequa potestas;
Quam cito frangetur viribus ipsa suis.

Vt si finitimas postquam concusserit oras,
  Vndique convectis pinus onusta opibus;
Turbatis nil tale timens rapiatur ab undis,
  Infelix tantum pondere mersa suo!
Tu tamen interea vires, animosque resume;
  Sunt generi, vates, omnia tuta tuo.
Audax suppositos inter Delphinas Arion,
  Lesbiaco gratus pectine findit aquas.
Carminibus, Polypheme, tuis Galatea sub Aetna,
  Dura licet, madidis lora remisit equis.
Nunc tibi non saevi vincenda est aequoris ira,
  Non Phlegetontaei, pectora cruda, Dii.
Sed facilis, longe ante omnes, clementia patris
  Experienda magis, quam stimulanda, venit.
Qui, quos ipse fovet, praevertit saepe rogantes,
  Aoniis dudum notus et ipse iugis.
Ergo age: ne tantae tu neglige munera sortis:
  Dum sors negligitur, negligit illa suos.
Prima tibi veniant a viribus omina nostris:
  Omina non norunt fallere nostra fidem.
Imparibus coniuncta modis Elegëia primum
  Occupet, obsequio sic praeitura tuo.
Audeat. At lecti primum sit cura ministri,
  Vt veniat grata gratior ipsa manu.

Inde suus quaesitus eat non segnior auctor,
  Non audax equidem, liber at ipse tamen.
Quid dolet hinc animo, narret, quae vota precantis,
  Admiscens multa candida verba prece.
Dicam ego devotos ignarus fallere vates:
  Laetus abi. Adscitum iam tibi numen erit.
Dixerat. At matutinum cecinere volucres
  Salve. Defecit lumina sera quies.

CATO.

ELEGIA.

Omnia cum vidit retro dilapsa referri,
  Caesaris et fatis cedere cuncta novis;
Restitit hic paullum, veluti sub vertice truncus:
  Mox intercisis questibus intonuit.
Cui tu, cara Deum soboles, Mavortia proles,
  Cui tu fraterna moenia caede locas?
Felix, heu! nimium, numquam si Roma stetisset,
  Quam dederant tali fata stetisse viro!
Quo, Decii, ruitis? tua quae tibi, Scaevola, mens est,
  Immeritam plectens fortiter igne manum?
Quid tu fatales, frustra periturus, hiatus,
  Curti, imples? rident fortia facta Dii.

Et Gallos frustra pepulerunt Vrbe Camilli,
Auxilium Romae corvus inane tulit.
Vanus et ille fuit, tergo qui caedere pontem
Iussit, quique tuos, Brute, bipenne petis.
Alter hic a Sexto nostris cervicibus instat?
Captivis tacitus noster it amnis aquis.
Et Pompeius adhuc nuda procumbit arena,
Et tanti umbra, nefas! errat inulta viri?
Prospiciunt nostris Divum sic numina rebus,
Nostra haec in tantum sollicitantque bonos!
Vos nunc, o Patres, vacuum sine pondere nomen,
Ausonii quondam norma, decusque soli;
Vos nunc purpureo lauros properate tyranno,
Accipiant ultro iam sua vincla manus.
Nos moriamur, ait: neque enim lethum omnia finit,
Et sua post funus fama viros sequitur.
Hos tamen, hos tumulo titulos inscribito nostro,
Funerea e flamma qui pius ossa leges.
Servitio puduit Romae superesse Catonem.
Libera non humilis condit hic ossa Lapis.

HOMO HOMINI INFENSVS.

ELEGIA.

Non aper a saevi didicit sibi dente timendum
Apri, cognatae nec Lupa saeva Lupae.
Inter securi versantur lustra Leones,
Et norunt generi parcere quisque suo.
Et ventris, Venerisque, citra et vitalia iura,
Et brevis est furor, et pax cito prima redit.
Soli inter se homines capitalia praelia versant,
Praelia ab extrema vix soliienda nece.
Quo tepefacta madet nostro de sanguine tellus,
Et nostra heu! facinus, funditur ille manu.
Et querimur, positos naturam evadere fines,
Omniaque inversis defluere ordinibus?
Verberat aestiva hibernus Sol lampade terras,
Dum pluviis inhiat campus hiulcus aquis.
Et segetes contra grando, et nix horrida adurit,
Cum media Phoebus sistitur arce Poli.
Pontus, et astra, aer miseris dira omnia spondent,
Et rerum extremam deproperare diem.
Ante alia, ingrato tellus sub pondere nutans,
Non ulli tutos iam sinit esse Lares.

Heu! tellus, hominum quondam tutissima sedes,
O cara, o felix, prima, suprema parens!
Siccine te nostri gravat, ehu! sarcina, quam nunc
Dedignata tuis excutis ex humeris?
Naturam legum non taedeat anne suarum,
Cum nos iam dudum taedeat esse homines?

DISCIPLINARVM, ARTIVMQVE INTER SESE NEXVS.

ANTONIO NANVLAE, V. C.

EPISTOLA.

Te duce, te socio, dispexi, Nanula, nuper,
Dispexi et fluxae vitäi stamina prima,
De tenui leviter vix dependentia filo,
Stamina et interitus tacitas properantia in horas.
Obrigui, steteruntque comae! Subit ira deinde,
Qui neget, esse Deum, potuisse hunc luminis auras
Flatibus infecisse suis. Nihilo propiorem
Me sensique statim. Inde tuis haec auribus audax:
Dic sodes, quota in his tua, vel quae, Nanula amice,
Pars fuit? illorum-ne opifex, aut arbiter ipse?

Si cui mens animi est alia, et sententia discors.
Nil tale in brutis. Naturam quaeque sequuntur
Paucis contenta, et quae ultro natura ministrat
Addictis ventri, et Veneri, quin usquam in utroque
A prima iussas, frustrentur origine leges.
Propositus labor est homini. Labor omnia vincit,
Si prudens operi numquam patientia desit.
Vita labore homini toleranda labore,
Ex quo telluri vetitum, producere fruges
Sponte sua, et quodcunque hominum foret usibus aptum.
Arvorum primo mentem subit aspera cura.
Pone bovum, atque ovium, miserae quo pabula vitae
Sufficerent, membris tegumen, sociique laborum.
Quaesiti astrorum cursus, et tempora certa,
Et Lunae, Solisque viae, quo tradere sulcis
Semina, et expediat telluri immittere plantas,
Ne sua sollicitum frustrentur vota colonum,
Quem circumspiciat nequicquam alimenta reposcens
Defixis oculis trepidans cum coniuge natus.
Difficiles morbi, contagia dira hominumque,
Et pecoris medicas docuere inquirere in artis,
Viscera rimari, membrorumque abdita ab imis
Sollerti studio penitus reserare latebris,

Si quando notis illorum occurrere causis
Possent herbarum succo, aut aliunde petito
Auxilio. Campos partiri limite, adegit
Segnities hominum per multa pericula rerum.
Illa sui parcens alienas undique messes,
Fructusque invadens, turbabat, viribus audax
Omnia: paucorum nec erat, vi pellere multos.
Omnibus idem animus, fucos extrudere inertes:
Quemque, suo pro iure, suis utique, fruique.
Quod placitum paucis, quos Iupiter aequus amavit,
Poenarumque metu sancitum, protinus omnes
Amplexae gentes, genio, cultuque ferino
Seposito. Nec quisquam ausus post hiscere contra.
Vrget quippe Dei vindex praesentia corda,
Ferrea corda licet, quam nondum prima ferebat,
Excussisse aetas animo. Tum, pace sequestra,
Ludere vel tenui circum rate litora ponti
Retia distendens, uncos aut piscibus hamos
Obiectans, pelagi donec fiducia maior,
Remis abiectis, velata excurrere pinu
Impulit ulterius, nec notas hactenus orbis
Explorare plagas. Peregrinis anxius inde
Divitiis inhians, quibus illius ebria quamvis,
Improba non animi tamen exsaturata cupido,

Irruit in luxum praeceps ; et qualibus uti ,
Si saperet , poterat , ratione , modoque magistris ,
Maluit ipse uti prave. Quaesita subinde
Lenimenta gulae , vestes , caelataque vasa
Ex ebore , argento , et quod utrovis carius , auro.
Mox quae demissos animos , defessa labore
Corpora per Divûm laudes , et honesta virorum
Facta relaxabant numeris , pictisve tabellis ,
Vel cantu , aut cithara , paullatim flectere visae
Artes in vetitum , pudibunda quod horreat auris ,
Detrectent oculi , mens et memorasse recuset.
Tu caveas , artes traducere crimine tali!
Artifici stat id omne suo , qui pulcra pudendis
Miscuit insanus , quem damnat fasque , decusque ,
Cui famulari aequum est artes , illudere , iniquum.
Quod patris vitium , nati si iurgia miscent ,
Oblitique sui generis , positoque pudore ,
Indulgent ganeis stulti , censumque profundunt?
Vulnera qui tractat , Medicos contemnere vidi ,
Odisse et Medicos novi , qui vulnera tractat.
Stultus hic , atque alter , socias qui dividit artes ,
Quae prodesse simul , distractae occidere possint.
Odit utrumque sacri iuris , legumque peritus.
Quem si praevalida cum febre quatit male tussis ,

Aut luxato humero, pede, crure, manuve dolentem
Circum stent nati, nataeque, et flebilis uxor,
Supplicet alterutri miser, et gemebundus, oportet.
Causidico rursus medicorum copia saepe
Praestat opem, cum de properato funere lis est,
Quod vulnus fecit, seu vis occulta veneni.
At si vicinus, dimoto limite, furtim
Decurtavit agrum: pulsa aut formidine mortis,
Solvere detrectet sibi, quod promiserat aeger:
Causidici quoties pulsaverit ostia supplex,
Praesidium Legum sancte experturus uterque?
Qui nova sectantur, mordent quodcunque vetusti est,
Et solos se scire, volunt, quod carpere gaudent,
Qui nil pro semet faciat, vel dicere possit.
Sed nostrae augentur, maneat si copia prisca,
Non minuuntur opes nostro sudore paratae.
Vtile sectari tantum se velle, reponunt,
Hoc memores, sibi quod brevis est usura diei.
Sectenturque, licet per nos, semperque licebit:
Hi tamen edicant, sibi quodnam hoc utile tandem,
Vtile quando, animum quodcunque alit, esse putatur.
Quod si proposita est regina pecunia tantum,
Optatas quae praestet opes, et commoda vitae;
Dediscant artes, quarum piget, arvaque sulcent.
Aut mercentur olus, pecudes, et aromata vili,

Quae vendant caro, sapienti denique si quid
Mercator differt, vilisque ancilla patrona.
Atqui ego novi homines, quorum haec sapientia tota.
Vnde novi quidquam, nostras quod vellicet aures?
Heus bone! sic alius: quae nostra Diaria nuper
Vulgarunt, scitu plane dignissima, nescis?
Vni mater erat natae. Pater unicum habebat
Et natum. Vxorem duxit natam Pater: indeque Matrem
Filius. Ecce tibi, qui filius, et socer idem
Fit Patris; et Matris iam filia facta noverca
Amplius: Hic natae fit vitricus, ipse novercae.
Connubio in duplici quanta est conversio rerum!
Atqui ego dicturos, rebar, quod miror omissum:
Quae melior talos, mater-ne, an filia iecit?
Ecce supervenit, excusso qui non bene somno,
Ore vomit tepidos fumanti a stipite nimbos.
Ecquid? heri talo-ne stetit, dic, fabula recto,
An cecidit? Quanti, qui primas, quique secundas
Egit, habendus? utrum, prae Phyllide, doctior Aegle
Saltet, vel clunes agitet? qua voce theatrum
Plenius intonuit, cui plaudat Iupiter ipse?
Scilicet hoc illis scire est, dum caetera sordent,
Vtiliusque nihil. Per prandia, perque tabernas
Haec repetunt. Nec raro inter se iurgia miscent,

Qualia Priamiden, generosum atque inter Achillem.
Si sapimus, sapere hos stulte, insipideque sinamus.
Omnia te vidisse, neges, aut posse videre.
Plurima viderunt veteres; maiora videbit
Posteritas, incoeptorum contraria fata
Rerum nî remorentur iter, cursusque retardent.
Gens non ulla tamen nullis ignoscere sueta,
Quam quae puncta, apices, rectos inducere chartis
Tractus, incurvos didicit, vel utrinque reductos.
Cuncta patere sibi putat uni, spernit et omnes,
Vt qui ructanti stomacho meliora recusat.
Paucorum id vitium. Fateor. Tamen intolerandum,
Et quod civilis paullatim emolliat usus.
Se parvo in stadio primum decurrere, norint,
Vna quibus sunt corpora materies, nihil ultra.
Horum praeterea quota pars? tantilla profecto,
Quae semota locis, et rebus *quanta* vocatur,
Et nusquam est, animo tantum contenta teneri.
Multa sine hoc, dederim, nequeunt consistere recte,
Haec ergo remove: quid noscere proderit ista?
Annon corpus olet? nonne et sapit? unde vel album,
Aut nigrum? intentas sonitu cur verberat aures?
Cur durum, aut fluidum? in motu positum, anne quiescens?
Quae motus certae leges? quae porro quietis?

Vivens, an brutum? vivo quam vivere vitam
Ille dedit, secum qui singula, singula toti
Innectit, totumque homini concessit habendum?
Plantae etenim vivunt, vivunt animalia quaevis,
Et vitae, es mortis, morborum et magna in utroque
Cura est, et ratio, et cultus non parvus habendus.
Quae, nisi delirant, aliis tractanda relinquant,
Tutenturque suos, alienis parcere docti,
Fines, aut humana dehinc consortia vitent.
Pacis amans Deus est: pacem venerentur et artes,
Artificesque simul! Verum sectantur utrique,
Aut pulcrum. Nec pulcris vera, aut pulcra decoris
Revera pugnant, auctor quibus omnibus unus,
Et veri, et pulcri fons primus, sanctaque norma.
Non aliam ob causam cognatas sanguine Musas
Fecerunt Vates, quarum altera in alterius rem
Denique conspirat belle, et coniurat amice.
Vsibus hae vitae praesunt, queis nemo carere
Vult, si constiterit mens sana in corpore sano.
Fessos hae relevant animos, minuuntque labores.
Exercent aliae corpus: cum corpore mentem
Exercent aliae; brutis qua animantibus una
Praestat homo, similisque Deo, superumque sodalis,
Cui pecori, arboribus, terrae, pontoque praeesse,

Iure datum, donec mortali vescitur aura.
Vnius ut non uni eiusdem corporis artus,
Membraque non eadem; toti tamen omnia quadrant,
Et queis, incolumi vita sartoque decore,
Nemo carere velit: nihilo tu secius artes,
Sint quaecunque licet, repntes. His foedera vitae
Constant humanae, vitae et socialia iura.
Artes hinc absint, extorres literae et absint;
Sorte quid humana gravius, vel foedius usquam?
Scribenti haud uno in primis hausisse, sat esto
De fonte, aut rivo, sit quamvis plenus uterque.
Exigui semper, tantum qui propria nosse
Contenti, ignorant aliena, aut spernere, fingunt.
Quorum si scirent usum, quantumque iuvandis
Apta suis rebus, deproperare libellos
Desinerent uno victuros mense, vel hora.
Tyndaridae Zeuxis cupiens absolvere formam,
Non satis, ex una duxisse exempla puella,
Duxit: at in multis, toto etsi de grege lectis,
Haeret defixus, quod et in quaque eminet, optat.
Sic tibi lector erit, tamquam conviva, nec uno
Donandus vino, tractandus pulte nec una,
Queis meliora domi fortassis et ipse recondit.
Haec praecepta memor teneas, multusque revolvas,

Si tibi propositum sit, delectare docendo.
Talia sed frustra tibi commendare laboro,
Vires si non ante tuas expenderis ipse,
Nam tua, non alios refert, te noscere recte.
Aspice, quanta patet moles, quantunque theatrum!
Partem unam, fortasse aliam, simul omnibus impar,
Sedulus implebis, cavea plaudente. Sed utrum
Oedipus, an Davus procedas, inspice, cautus,
Ne risum tollat spectatum admissa caterva.
Quo natura vocat, nec enim ingenium omnibus unum,
Intentus sequere, effossos quo more sequaces
Consectantur aquae cursus. Aliena probato:
Arva tamen colito ipse tua, assiduusque repurges.
Sic tibi non tenuis continget gloria, quamvis
Sit labor in tenui: nec enim subiecta probat res
Scribentem; scribendi sed magis ars, ratioque.
Nec tu laudari festines. Tarda merentes
Consequitur laus, certa tamen, fortasse perennis.
Te laudatorem potius, quam laudis aventem,
Esse volo, ut procul invidia lucreris amicos.
Aequum sic animum in cunctis servare, licebit,
Quo sine, quid tandem perituro caetera prosint?
Quod vitam hanc alit, et quidquid sub Sole movetur,
Tu nihil esse, putes. Sectari aeterna, Deumque

Quaesisse ante omnes, haec est sapientia prima.
Relligio et veri, et pulcri fons primus, et unus,
Quo clauso, pulcri lutulentos currere primum
Rivos, dein veri videas arescere fontes.
Qui sapiunt aliter, longe diversa sequentes,
Assimiles illi, repetens qui patria tecta,
Oblitus patriam, mansuraque gaudia vitae,
Haeret iter faciens, illac cunctatur, et isthac,
Et sua, circum aliena stupens, vesanus omittit.
Detinuique satis te, Nanula. Vive, valeque.

AD DVCEM VENTINIANI.

EPIGRAMMA.

Dum tu Canovae spirantia marmora laudas
Carmine, quo Pindi plaudit utrumque latus;
Incertum iam, quis prae alio, sit maior habendus,
Vates, an Sculptor, Ventiniane, facis.

IN PONTANI EFFIGIEM.

DISTICHON.

Pontani effigies. Ne quaerito plura. Viri, te
Si quid forte latet, dixerit effigies.

AD AGNELLVM CARFORAM.

HENDECASYLLABI.

Es festivus homo, nisi ipse sterto,
Paucis, Carfora, conferende amicis,
Quem semper colui, quem amabo semper.
Nam quid hic opus est precatione,
Vt ζωαγρια caeteris cum amicis
Solvam Pontifici, cui vetusto
Nexu detineor, quod ipse nosti?

Ecquis praeterea haec ei negavit,
Qui simplex, facilis, suavitatis,
Nec fictae specimen, teres, rotundus?
Porro et principibus placere doctus,
Iam cunctorum animos sibi inligavit?
At non heic mihi tu vafer quiescis.
Pergis: nec spatio dato, morave,
In vatum medias trahis choreas.
Quos inter sileam, an canam imparatus?
Sed frustra es. Teneo viam. Ipse monstras.
Rides? ecce tuis agam tabellis.
Dixti: *si qua sit hora subseciva*,
Quodvis afficito. Sat est: venito:
Veni. Hem! siccine ego tibi otiosus?
Veni praeterea. Ecquid ipse quaeris?
Nil est, quod tibi iure postularis.
Contra, iure meo, palam, absque fraude,
Iratus tibi pauca nuntiabo:
Veni; sed taceam. Hora subseciva,
Scito, nulla fuit. Vale, valeque.
Tantum Porta meus diu valeto,
Vivatque incolumis mihi, atque amicis,
Nostrae et Parthenopi. Valete mecum,
Omnes. Non tibi, salse, sic abibit,
Qui mecum fide agis parum fideli.

IN HOMINEM OMNES FASTIDIENTEM.

DISTICHON.

Omnia fastidis, quaecumque humana feruntur.
Cur homines inter, stulte, moraris adhuc?

JOCVS

GALLVS. INDICVS. DELATVS
AD. DOMINIC. DE HIERONYMO
PRO. PRAESID.
CVR. II. A. CRIMINIB.

Hic reus est mortis: sed mortem indicere sonti,
Me sancti prohibent iura ministerii.
Defertur tibi, cui Nemesis sunt iura tributa,
In quem lunatam literulam iacias.
Ne desim officio ipse meo, post funera condi
Damnatum, sine me, ne sine sarcophago.

DIIS. ABDOMINALIB.

Vt licuit, titulum tibi ponimus, Indice gallè.
Tu modo sarcophago ne gravis esto tuo.

AD EVMDEM.

EPIGRAMMA.

Indicus iste bipes tibi sistitur, alter ab illo,
Quem damnasti unus, condidimusque duo.

Si tumidum pectus, si colla rubentia spectes,
Illius iste nepos? filius anne magis?
Sit quicunque, miser fatis urgetur iisdem,
Hortorum pestis, perniciesque satis.
Macte igitur, partes, ut mos tibi, iudicis imple:
Implebo partes nec minus ipse meas.

MICHAEL. VRSVS. ARGIA. DVCE.

Herculanum petit.

EPIGRAMMA

Quo Labirynthum adeat, nullo discrimine vitae,
Fida suo Theseo filum Ariadna tulit.
Tutius Herculeae latebras nunc permeat urbis
Vrsus, ab Argia ductus et ipse sua.
Illa manu, illa oculis rimanti cuncta recludit,
Quae deceant vatem, quae sciat historicus.
Clarior unde Vrsi nitet inter fama sodales,
Qui Mergellinem, Pausilypumque colunt.
Gratulor, Vrse, tibi, duce tali! gratulor aeque,
Pulcra Argia, tibi! Sed caveas, moneo.
Misceri caelum cupit Vrsus turbine, quali
Olim Didoni, Dardanioque Duci.
Non Venus hic ulla hortatrix, non pronuba Iuno:
Saevus at a tergo Mulciber ecce tonat.

NICOLAO ZINGARELLIO.

PRO DIE PARASC. AN. 1827.

EPIGRAMMA.

Flevissent Superi, Superûm fortuna sed obstat,
Flebilibus numeris, o Nicolae, tuis!
Flevimus ast ipsi, flentesque patentis Olympi
Ecce videbamur iam tenuisse fores!
Cur non haec audiit Iudaeus apella? sed anceps
Haesisset nostrae forte salutis opus.

PILEO, FLOCCISQVE TVMENS.

DISTICHON.

Pileus es totus, floccorum murice turgens:
Ergo te flocci, sive pili faciam.

FERDINANDI II. REGNI HABENAS CAPESSENTIS.

Programma.

ELEGIA.

Prima Dei cura esto, patrum de more, colendi,
Qui quibus ipse velit, regna dat, atque adimit.

Iustitiae stet honos: sint propugnacula Leges
  Imperii: quisquis legibus inferior.
Non est par humeris, qua plebs miseranda gravatur.
  Sarcina, et est oneri pars minuenda suo.
Pura fides, et sanctus honor tibi credita, miles;
  Nec mage nostra armis, quam tua res agitur.
De caelo verba ista sonant. Quis rettulit? alter,
  Qui modo Fernandus sceptra paterna capit.
Demissum caelo sidus, Rex optime Regum,
  Salve, o spes populi certa, salusque tui!
Haec concepta Pater, quem defles, vota fovebat;
  Maior et haec animo vota fovebat Avus.
Invida sed votis mors obstitit. Et fuit illa
  Poena quidem nostrae debita stultitiae!
Poenarum sat. Maiorum tu perfice vota.
  Qui dedit, ut cupias, et dabit, ut facias.
Nestoreamque dabit vitam prolemque beatam,
  Quo maior nemo te Patre, Rege, siet.

AD EVMDEM.

EPIGRAMMA.

Dulce, suos inter digito monstrarier: *hic Rex*.
Qui tamen hoc tanto nomine dignus, ubi est?
Scilicet est Regis, sibimet non parcere, ut illis
Parcat, quos miseros non sua culpa facit.
Est Regis, proprio, haud alieno lumine, nosse,
Quid sibi, quidve suis obsit, et expediat.
Haec, Fernande, tuae praestas sub flore iuventae,
Vixque oculis credit, qui videt, ipse suis;
Et caeli munus Regem, iuvenemque fatetur,
Qui populi semper credita pernicies.

GEMMA IIIVIRALIS CORPVS VNVM REFERENS CVM BRACHIIS SEX TRIPLICIQVE CAPITE.

EPIGRAMMA.

Vnum corpus: Et id recte. Sex brachia: laudo.
Quid caput hoc triplex? ne mora: tolle duo.
Corpus id imperium, cuius sunt brachia vires.
Ergo unum unius corporis esto caput.

XERSES NOVARVM VOLVPTATVM SECTATOR.

EPIGRAMMA.

Si qua voluptatum cui sit nova forma reperta,
  Et laudes, inquis, munera et accipiet.
Nil clades Salaminae homini didicisse, dederunt:
  Nil ad Thermopilas et didicisse, datum!
Nunc Artabanus longe meliora docebit.
  Aspice, nam distat non procul a foribus.

LIVOR.

ALLEGORIA.

Vnde vapor, quaeris, qui nostras inficit auras?
  Scilicet erumpens triste Mephitis olet.
Ecquid contendit? radios obducere Phoebo,
  Quid Phoebus? transit. Quid vapor? aura, nihil.

TEMPORVM INVIDIA.

EPIGRAMMA.

Vix lauri baccas, modicae et vix frondis honorem
  Pindi sufficiunt devia saxa suis.

Quippe soli id vitium, abruptis quod cautibus haerens
Detrectat fruges, vomeris impatiens.
Cultori at baccas, et surpere frondis honores,
Hoc hominum, hoc nostri temporis est vitium!

IN HORILOGII QVADRANTEM.

DISTICHON.

Praeterit hora fugax. Tu nunc si deeris illi,
Aeternum misero deerit illa tibi.

LEPORIS FVGIENTIS ANAGLYPHVS.

DISTICHON.

Tu ne oculis, ne crede tuis: nam currere, dices,
Aeternum steterit qui Lepus in Lapide.

IN OTIVM.

EPIGRAMMA.

Otia corrumpunt mores, corrumpit ut undas
Protracta in longum non bene tuta quies.
Motus servat aquas: mores servabit honestos
Et labor assiduus, si modus adfuerit.

DETRACTOR ADVLATOR.

EPIGRAMMA.

Quanti te faciam, vis, ut dicam tibi? dicam.
  Non facio pluris, quam culicem facio.
Vellicat haec, inquis? Novi. At persaepe prehensam
  Index, et pollex in nihilum redigunt.

OPES SAPIENTIAE ANTEFERVNTVR.

EPIGRAMMA.

Idaliae postquam Veneri data gloria formae,
  Altera lis binas inter oborta Deas.
Iuno sibi primas; primas sibi fulva Minerva
  Asserit: ambabus iudiciumque datur.
Sed dolet, unius arbitrio, cecidisse sub Ida.
  Abs Iove iudicium plenius ergo petunt.
Ille hominum genus omne ciet. Cui quisque Dearum
  Optarit magis, huic se addere, quemque iubet.
Iunoni extemplo se se pars maxima iungit:
  Desertae propior visa Minerva fuit.

LEGENDI CACOETHES.

DISTICHON.

Pauca scias, si multa leges. Miraris? inepte:
Namque aliud scire est, et meminisse, aliud.

FELIS PARIENS.

DISTICHON.

Quod feles peperit, mures gaudere, iubentur.
Qui taciti secum: non ita desipimus!

PAR PARI.

DISTICHON.

Quid quereris, tua si verbis ego verba rependam?
Tu dare pro rebus nil, nisi verba, soles.

CREPITVS.

EPIGRAMMA.

Accedo: dormis. Clamo: destertis, et hiscis.
Pedo: iam surgis, iam mihi totus ades.

I nunc, et crepitus damna! Tibi nasus aduncus,
Quod facit Aegyptus, ne pudeat colere.

NASVS IMMODICVS.

DISTICHON.

Celsa videbatur longe procedere Turris.
Accessi. Nasus Pantalabontis erat.

PAVLLI RAPTVM INSIPIDE CARPIT VOLTAIRIVS.

EPIGRAMMA.

Ad caelum raptus de caelo, Paulle, quid affers?
Quae non ulli hominum verba referre, licet.
Tuque adeo causaris iter, vanumque laborem
Asseris, unde boni nil tibi contigerit?
Et sapis interdum! haud semper mentiris, inepte!
Non tibi, sed nobis profuit illud iter.

IN DEDICATIONE EFFIGIEI NICOLAI ZINGARELLI.

EPIGRAMMA.

Te Vatum numerosa cohors, te Musica pubes
Nunc canit, effigiem devenerata tuam.

Dandaque post obitum miramur praestita vivo?
  Miremur, sero praestita et ista viro.
A te iam pubes discat praecepta modorum:
  Vivendi in primis discat at ante modum.

CLAVVS CLAVO TRVDITVR.

EPIGRAMMA.

Sublimi cornu dives miratus ab aede,
  Ore quod inverso forte iacebat humi;
Quid restas, inquit? tibi quid fronte excidit, ecce.
  Et Mediastinus forte subibat iter.
Ille manu frontem tangens: mea sunt mihi, dixit.
  A te dilapsum, quod cecidisse, mones.

AL MARCHESE MONTRONE.

SONETTO.

Parte non già, tutti i tesor versaro
Ciascun de' pregi sui, Petrarca e Dante,
Il Tasso, l' Ariosto in te, prestante
Montron, del secol nostro esempio raro.

Oltre dirò, chè unqua col merto avaro
Esser non soglio: a me così le sante
Muse propizie sieno, e ad esse innante
Apollo, il Nume riverito e chiaro!

Petrarca il suo gentil, ma non il molle;
Il grave l' Alighier, ma non lo stento;
La vena il Ferrarese, e non il folle:

La forte tuba a te quel di Sorrento,
Che d' ogni falso tuon purgata volle;
Onde del tuo non v' ha più bel concento.

SCHERZO DI PAROLE.

Tu *sei?* ch' il disse, mai?
Tu *sei* non *sei*; chè tale esser non puoi
Quello, che adesso *sei*, ed esser brami.
Ma in parte *sei* pur tu *sei*, e non lo sai.
Dalla figlia saperlo invan pretendi.
Dalla madre lo cerca, e sì l' apprendi.

NVMMORVM APPETENS FLORES, VXORIS NOMINE, PETIT.

EPIGRAMMA.

Accipe, quae Dominae mittit munuscula, Florae:
Et Dominae faveat sic quoque Iuno tuae!
Optassem centum, hinc alios, aliosque, et in hortis
Denique, quotquot alit Diva beata suis.
Sed Charitum numerum vix aequant, vixque Sororum?
Sunt Dominae ista parum, sed Domino ipsa satis;
Qui plusquam flores, virtutis praemia, numos
Olfacit. Ecquid enim, re sine, laudis odor?

AMORIS CAVSA.

EPIGRAMMA.

Cur ego, quaeris, amem? mihi quidquid amo, placet: atqui
Cum placeat, quod amo, fit mihi, ut illud amem.
Sed quia, quod placuit, pulcrum non semper habendum,
Quod placet hinc, non quod pulcrius, optat amor.

LIBELLI INEPTI IVDICIVM.

EPIGRAMMA.

Dicens multa nihil dicis; vel talia dicis,
Quae si quis nescit, scire quid iste queat?
Haeres in parvis trepidans, et magna minaris;
Sed magni interea nil, nisi verba, refers.
Implesti latrans totas indagine silvas.
Aprum credebam; vix tibi capta culex!

NON OMNIA DANT DIVITIAE.

EPIGRAMMA.

Et genus, et formam regina pecunia donat,
Et quae non eadem munera Diva potens?

Sic Dives, sed mentis inops. Quo discere possis,
Divitias homini non dare, quo sapiat.

IDIB. NOVEMBR.

Festum S. Stanislai Kostkae, quae dies natalitius amici cognominis.

EPIGRAMMA.

Sacra dies Kostkae, cuius praenomine gaudes,
Natalisque eadem, dulcis amice, tua.
Quid tibi nunc optem? Divi caelestia dona,
Et sena aetatis stamina plena suae (a).
Si quid et amplius, hoc melius, dulcissime rerum,
Vt prodesse queas sic magis ipse tuis.

FONS HERCVLIS.

DISTICHON.

Si veterem pueri fas est excussisse dolorem
Ista tibi, Alcide laetior unda fluat.

(a) Beatus Stanislaus vix. an. 18.

MENDACI VEL IVRANTI NVLLA FIDES.

EPIGRAMMA.

Litigat, ut mos est, Bubo, et mentitur aperte,
Et vestram implorat, Diique, hominesque, fidem.
Cum Basso res est: Buboni quid faciat nunc?
Omnia sic paucis expedit ille homini.
Mentiri mihi si libeat, mihi, credito, credent.
Quis tibi iuranti, perfide, crediderit?

FAMVLAE TRISTES.

EPIGRAMMA.

Res mala Galla, cave! mihi Delia iugiter inquit.
Et mala res, caveas, Delia; Galla monet.
Et credam ambabus, nam Delia pessima, Galla
Peior, nec fingi peius utraque potest.

TEMPORVM ANGVSTIAE.

DISTICHON.

Insidias loculis cur non intenditis, ut mos
Est vobis, Fures? sunt etenim vacui.

LIB. III.

TRISTIA. SATYRICA

AD SVVM LIBELLVM.

EPIGRAMMA.

Si desit quidquam nostro fortasse Libello,
Ne tamen huic, Lector, crede deesse fidem.
Non furor, at ratio invitis iusta arma ministrat,
Si quando vim vi pellere iura sinant.

AD MONIALES NVCERINAS.

ELEGIA.

Virginei coetus, decus altum Virginis Agni,
Et Nucerini gloria prima soli:
Quid me desuetos Parnassi quaerere colles,
Cogitis, et sacro tingere labra lacu?
Quam bene Lethaea potius deglutiar unda,
Invisasque Stygis cogar adire vias!
Vt semel exosis animus dilapsus ab auris,
Omnia dediscat, nec memor ipse sui.

Scilicet in tantum fatis urgemur iniquis,
Nigraque ducuntur stamina nostra colo;
Omnia ut in peius male vertant, queisque levantur
Mortales homines, his graver ipse magis.
Me gravat alma dies, gravat et nox caeca tenebris;
Quod vivo, hoc ipsum iam gravat ecce caput.
Nec me divitiae, clarae nec nomina famae,
Nec tua, grata licet, munera, Phoebe, iuvent.
Si quid forte placet, si quid non displicet, unum est:
Displicet ipse minus, vel placet ipse dolor.
Ille mihi comes unus adest noctuque, diuque,
Et regit addictum sub sua iura virum.
Proderit et vinctum Domino me dedere tali:
Crudelis servo non erit ille suo.
Nam nostros ubi paullatim attenuaverit artus,
Dissita nec dudum sit, precor, ista dies;
Ipse per Elysias valles, sedesque beatas,
Sit tamen huc idem mox rediturus, agat.
Non illic veteres agitant praecordia curae,
Quas fama est, una sorbitione lui.
Ast ego, quae superant nostri, devota dolori
Ossa velim: inscriptus sic notet ossa lapis.
Tu sacer hic Domino iaceas, Guarine, dolori,
Quandoquidem solus profuit ille tibi.

IN FVNERE VINCENTII ANGIVLLII.

ELEGIA.

Tu quoque complexu Angiulli divulse tuorum,
  Adderis heu! nostris materies lacrumis!
Quas non ulla dies, casus nec temperet ullus,
  Namque tui similem non dabit ulla dies.
Ipse tui similis, Vincenti, semper, et unus,
  Sors licet alternet, quas velit ipsa, vices.
Tu Sophiae decus, et recti fidissima norma,
  Tu sanctae innocuus cultor amicitiae.
Te Charitum in gremio primo sub flore iuventae
  Musarum fovit, non sine laude, chorus.
Quo tanto numquam penderet ab ubere natus,
  Quanto pendebat quisquis ab ore tuo.
O sanctum, placidumque viri os! quae pectora dura,
  Eloquii inliciis quae sibi tuta tui?
Quo, de Socraticis quantum est decerpere chartis,
  Convectum, Siculo nectare compositum!
Nestoreos equidem, tantum qui Nestora mente
  Vincebas, annos vivere dignus eras!
Nunc quarta vix parte infecta staminis huius,
  Occidis, et nostris abstraheris manibus.

O genus infelix, et falsae gaudia vitae!
  O mala quam dubiis consita certa bonis!
Te gener, et coniux, te natus, et unica nata
  Nunc lacrumis urgent nocte, dieque suis.
Quin amens animi, neptis dulcissima, pridem
  Vnum vergentis delicium senii;
Pupula quamvis, et primi vix tempora lustri
  Emensa, in tantum est funere tacta tuo;
Vt se praecipitem iam det, nec vana minatur,
  Nî cito, Vincenti, te sibi reddiderint.
Reddite, clamabat pallens, similisque furenti,
  Nam quo, quo tandem, dicite, et ille abiit?
Reddite. Sed quamvis innoxia, candida quamvis,
  Vota tamen celeres diripuere Noti.
Sed qui te nobis, qui demum casus ademit,
  Quem letho raptum credere mens refugit?
Quamquam etenim morbi vis sensim irrepserat artus,
  Nec tibi constabat, qui fuit ante, vigor:
Aucta sed ingenii virtus, decor additus ori,
  Prae solito, fulgens et facies animi;
Vincenti, in longum de te sperare iubebant,
  Qui tecum semper vivere discuperent.
Oh! vanas hominum mentes! haec ipsa monebant,
  Staminis extremi deproperare colum.

Nam mens et divinior, et plus cernit acute,
Quo sua iam propius frangere vincla parat.
Et tamen haec eadem sensisse quid ante iuvabat?
Sic quoque calcandum mortis iter fuerat.
Multa brevis felix complevit tempora vitae,
Qui moriens, dignus vivere semper erat.

PRO RESTITVTA REG. FERDINANDI I. SANITATE.

ELEGIA.

Nox erat, et nostras subito vox occupat aures,
Vnde quidem, incertum :- certa sed illa tamen.
Debita iam caelo virtus. Visaeque repente
Caelorum auratae hinc inde patere fores.
Praefulget caelestis Amor. Spes certa, Fidesque
Adstant. Virtutum laeta chorea sequax.
Relligio ante omnes, caelum quae vertice taugens,
Incerta terras nunc ditione tenet.
Stat medius, firmusque animi Rex, quaque patescit,
Laetanti similis, mox aditurus iter.
Laetitia exultat, totusque resultat Olympus,
Tergeminaque polus fulget uterque face.
At parte ex alia nostra urbs turbatur, et omnis
Solvitur in questus, solvitur in lacrumas.

Et *patrem* pueri clamant, teneraeque puellae,
 Et *patrem* clamat vir, mulierque, rapi.
Quo nec amabilior quisquam, nec iustior alter,
 Solem insperatus redditus ad decimum.
At quae mens animi, perculsi fulmine tali,
 Seu, Francisce, tui, seu Leopolde tui?
O iuvenum par! imperii o spes altera nostri,
 Queis non Laeda suos anteferat geminos.
Quique vel alterna redimant nunc morte parentem,
 Talia si quando fata sinant miseris!
Quidve externati memorem suspiria fratris,
 Ad nos demissi litore ab Hesperio?
Sed pater omnipotens, qui prospicit omnibus, in se
 Immotusque manens, ima, suprema regit:
Regis adhuc, inquit, telluri est debita virtus;
 Nec, quae perficiat, caetera plena satis.
Dixit, et in summo ludens stetit aethere ventus,
 Posteraque illuxit clarior Vrbe dies.
Ex illo cives videas iam tempore cunctos
 Gestire, et sua iam gaudia non capere.

IN FVNERE PETRI SIGNORELLI.

ELEGIA.

Mortales morti debemur, funeris atque
  Non eadem ratio, lex tamen una manet.
Anne fuisse, iuvat, plenoque e stamine scindi
  Sponte, velut fructus arbore deciduos?
Et tu plenus abis, o Signorelle, dierum,
  Creditur et pensi nil superesse tui.
Nam sextus teritur tibi, et octogesimus annus,
  Quo nec Davîdis tempora respiciant.
Sed quanti haec nobis, quibus aut tu vivere semper,
  Vel nasci numquam, maxume, debueras?
Quo, te defuncto, orbati genitore dolemus,
  Quo, te defuncto, sidere terra caret!
Tu flos historiae, sophiae tu norma fidelis,
  Romani, et Graii tu decus eloquii.
Nec sileam, prima te ab origine fata theatri
  Complexum, atque humeris sustinuisse tuis:
Queis et se gradibus gemino de litore culta
  Famam nostra omnem terra supergreditur;
Et tibi quanta sua pro pyxide debet Amalphis,
  Quantaque vel Sophocles, doctus et Euripides.

Atqui ego vix credam, sanctos, haec tangere Manes,
  Quos beat alterius laetior aura poli.
Quam nihil hoc nostrum sapere est! quam frigida vita!
  Gaudia quam vitae frigidiora magis!
O sola, o felix, caelum cui patria, virtus,
  Quae vix in terris hospitio exciperis!

FRANCISCO . XAVER . GVALTERIO . EPISCOP . CASERT.
DOCTRINA . MODESTIA . ERVDITIONE . INCOMPARAB.
AVCTOR
SERVS . SED . CITR . CVLPAM . ADMIRATOR

Cur te quantus eras, sapientum norma, decusque
Pontificum, non ante mihi novisse dederunt
Dî, quam te tua mî ignaro maturrima fata,
Gualteri, abstulerunt? Dolet id, porroque dolebit.
Quantum ex te profecissem, quem non cohibessent
Nec labor, aut iter, aut tandem dispendia quaevis,
De facie ut sancte colerem noctuque, diuque.
Sed tu quantus eras, quis, nî post funera nosset,
Qui tantum studio, et cura celare solebas,
Quas tibi mos fuerat, peregrinas condere gazas
A puero, inque dies, horasque augere, legendi,
Scribendi assiduus, quantum vanissima turba

Doctorum sua in apricum proferre laborat,
Quo captet plausus, et lucri, et laudis avara?
Et quamvis doleant haec, et mihi porro dolebunt,
Hoc tamen, hoc urit magis! et nunc post tua fata
Rescisse, et quanti faceres me tu bonus ultro,
Et quanti immeritum, notum vix nomine, amares,
Quo melius quidnam a meliore vir optumus optet?
Sancte Senex, fateor! parcas atque, oro, fatenti.
Iam placeo ipse mihi! Ecquis enim, te iudice amico,
Quis sibi non placeat? Quare tanto mihi ademptum
Nunc doleo ex animo, quanto mî dein ipse placebo,
Quem tanti facere, heu! vivens, et amare solebas.
Salve, sancte Senex! cineres salvete beati,
Et florum vice, sint lacrumarum haec munera parva,
Quas amor ex oculis excit moerentis amici.

BRVNONI . AB . AMANTEA . ET
DOMINICO . COTVNNO . ARCHIATR.
NOBILISS.

ELEGIA.

Invida si prope vos mihi suspexisse dedissent
Fata, virosque olim noscere de facie;
Vobiscum ut, nostrae modicum vel tempore vitae,
Conseruissem ultro verba citroque semel:

Nectareo quidquam carpsem fortassis ab ore ,
 Quod nunc afferrem Manibus inferias ;
Haud equidem inferias heroum Manibus aptas ,
 Quales pro merito , si daret ingenium ;
Sed quales aequi facerent , qui denique norint ,
 Exili quantum in corpore sit tenuis
Mens animi mihi. Deserto nunc omnibus , atque
 Plane externato , quid superest reliqui ?
Ereptas-ne animas dicam de faucibus Orci ,
 Quas et quis referat , sive referre queat ?
Funus ut amborum pro funere totius Vrbis
 Iam dudum steterit ? tam grave cordolium
Pervasit cunctorum animos ! quibus altera , nuper
 Brunone extincto , fax quoque praeripitur.
O Bruno , et nunc Brunoni addite , docte Cotunne ,
 Salvete ! o nostri spesque , decusque soli !
O gemini medicinae oculi , et mens , et manus ! o par ,
 Ecquando , vel ubi par aliud simile ?
Queis se se natura ultro patefecerit omnis ,
 Quaeque alios lateant , cernere posse , dedit.
Quaeque hi desperent , tractata valescere posse ,
 Secura tacitus tractet uterque manu.
Ollis adsurgunt adeo Germanus , Hiberus ,
 Adsurgit Batavus , quique Pado lavitur ;

Aut Ararim, Thamesinque bibit, Riphaea vel antra
  Incolit, e nostro dissitus orbe Scytha.
Miratique novas artes, miracula rerum,
  Ex vero ambobus numen inesse, putant!
At vos maior adhuc, neque fallor, fama manebit,
  Quae dabit a magnis proxime abesse Diis.
Pura fides, pietasque animi, sine crimine mores,
  Sanctaeque exundans pectus amicitiae.
Quo non una aegris dubiae spes certa salutis,
  Sed paupertati praesidium omne stetit.
At me quo venti rapiunt? Heic colligo vela.
  Sunt pelago tali tenuïa vela satis.

BRVNONI AB AMANTEA.

EPIGRAMMA.

Si tibi de nostro nunc nomine, Bruno, litandum,
  Suppeterent nullae, pro merito, inferiae.
Vrbis sed lacrumas, desideriumque perenne
  Accipe, de nostra munera certa manu.
Sat bene egenorum pater ad caeli ardua transit,
  Maturaturus firmius auxilium!

CVR EVMOLPVS NVMQVAM RESCRIBAT.

DISTICHON.

Nil mihi rescribis? Sed scripsi terque, quaterque.
Parce, ait Eumolpus: scribere non didici.

IN POSTVMVM.

DISTICHON.

Quod me *Asinum* dicis, vappis plaudentibus, haec te,
Si nescis, *talem*, Postume, dicta probant.

IN DETRACTOREM.

DISTICHON.

Zoilus es. Novi. Oh! utinam qui carpor, Homerus!
Parva mihi, infamis sed tua fama tibi.

ASINVS, ET LEO.

EPIGRAMMA.

Vix Asinus magni servatus ab ungue Leonis,
Et valide pedit, totus et usque tremit.
Conveniunt socii; rogitant: unde id? tibi numquam
Tam bene, tam solide concrepuere nates.
Hic contra: excessit? surgebam ulturus, et illi
Sit bene! At a saevo tergora dente dolent!
Tum risu socii: rudere est, et pedere, nostrum.
Hoc placitum Superis; fanda nefanda pati.

IN BVTEONEM.

DISTICON.

Spernere quem velles, iam nunc odisse, necesse est.
Gratulor hoc, Buteo! rumperis invidia.

AD BVBONEM.

EPISTOLA.

Seria de nugis, Bubo, mihi quaestio tecum est,
Nugas quando vocas totam vulgata per urbem
Iurgia, quae, de more foves, quorum auctor e ipse.
Nunc age, dic sodes: tibi cur nugator ego sum?
Scilicet hoc uno: quod fanda, infandaque passus,
Invitae demum laxavi vincula linguae,
Quaeque tegi velles, sine fuco publica feci.
At nî fecissem, ignaris dispendia certa
Fecissent famae male cauta silentia nostrae.
Et tu, quid doleam, novisti ex omnibus unus.
Vni dicta dies homini, etsi culpa duorum.
Parcere oportuerat tamen hoc, quod consona verbis
Facta tuis rebar fore, quod iurare solebas.
Tu mihi vellebas aures, tu saepe monebas,
Ne stulte prudens, causae fortasse deessem.

Et vos nunc testor, nam vos meminisse potestis,
Vos ego, Pausilypi colles, si mentior, et te,
Mergelline, et vos placida cava litora ponti!
Quae super his, et quanta olim mentitus amicum,
Spondebas! Cur nunc video diversa sequentem?
Nec mihi tunc mentitus: nunc mentiris utrique,
Nempe mihi, et Rhodio, quo nosti callidus uti.
Olfecit Gallum Vulpes. Plaustro ille superbus,
Felibus invehitur, plauditque vehentibus amens.

CATELLI ET MOLOSSVS.

ELEGIA.

Plures, delicium Domini, de more, Catelli,
Vnus et hos inter forte Molossus erat.
Laute illi semper; contra hic parcissime habetur,
Nec minus inde suis fungitur officiis.
Advigilat foribus, fures sectatur, et arcet,
Totus et in Domini deditur obsequium.
Hunc catulina cohors et nocte, dieque lacessit,
Saepius et latrans denticulis stimulat.
Ad quos sic Ferus: haec Domini est iniuria, fratres,
Iurgia nos inter, crebraque bella seri.

Quae si rescierit, fortasse iratus utrosque,
  Pro merito, donet fuste, vel eiiciat.
Nil speres genere ex hoc! instat, et acrius urget,
  Quodque Ferus parcit, iam timuisse, putat.
Ergo vim faciunt, facto et circum agmine sistunt.
  Hic caudam, ille aures, appetit iste pedes.
Longaque sic tandem patientia victa Molossi est,
  Actus et in gyrum, dentibus, ungue furit.
Huic male multatum femur; uni tempora fracta;
  Illi iam multo sanguine terga rubent.
Diffugiunt omnes, ululatibus omnia complent,
  Et Dominum, de vi condolituri, adeunt.
Acciturque Ferus: iussi omnes dicere causam:
  Partibus auditis, sic Dominus statuit.
In miseros, si quando libet, tu minge, Molosse.
  Fortior at cum sis, dentibus abstineas.

ARCHAISMORVM PVERILIS ADFECTATIO.

EPIGRAMMA.

Iam teneo. Tibi sordent, *accipio*, *affero*. Sordent
  Arrodo, *assiduus*, caetera nam taceo.
Et placet *adcipio*, placet *adfero*. Gratius aures
  Vellicat *adrodo*: perplacet *adsiduus*.
Haec ergo *adcipias*, quae Bassus plura daturus
  Adferet. *Adrode* et dentibus *adsiduus*.

IN VITVPERATOREM MENDACISSIMVM.

EPIGRAMMA.

Laudantem Bassus scurram fastidit, et odit:
Latrantem potius sustinet, atque fovet.
Cur ita, saepe rogant? mentiri scilicet, isti,
Naturae, haud vitii, iam didici, esse loco.

AMICI VENALES.

EPIGRAMMA.

Plures imprudens quidam numerabat amicos.
In partes alias alter, et alter abit.
Nil mirum. Secli vitio venduntur amici,
Sanctaque pro lucro venit amicitia.
Si quid pensi igitur tales habeantur amici,
Spem lucri facias. Nec mora: certus emes.

SECTATOR LAVDVM IMPORTVNVS.

EPIGRAMMA.

Laudari quod, stulte, petis, fortasse ferendum.
Quod iure id poscas, ferre quis inde queat?
Nam tu non cunctis tantum illaudabilis extas,
Totus ab unguiculis sed cruce dignus oles.

BOVII FVNVS.

EPIGRAMMA.

Effertur Bovius. Vespillonum addita bigis
  Pondere sub feretri, binaque biga gemit.
Heu! quantum vacui posthac, exclamat, in Vrbe!
  Exclamat Labeo, dilaniatque genas.
Quantum cum Bove vix Asinus complerit, Anoptes
  Inquit. Iam, Labeo, desine plura queri.
Mole ingens, animam Bovius salis instar habebat:
  Nec fortasse malus: caetera truncus iners.

IN VANVM SVI OSTENTATOREM.

EPIGRAMMA.

Nil tibi nostra placent, alienaque, et omnia damnas.
  Nunc iurem, belle cuncta stetisse mihi.
Siccine, ais? plane. Stomachus male firmus. Acescit
  Quodcunque infundis, vel Iovis ambrosia.
Est bene utrisque tamen. Damnas nos unus et omnes:
  Nos quoque damnamus singula quaeque tua.

IN ALIVM MORBO EODEM LABORANTEM.

DISTICHON.

Alter es Ixion; alter tu Sisyphus. Vmbras
 Pro Iunone capis. Stat sine fine labor.

IN OPVS, CVI TIT. DELICIAE POETARVM.

EPIGRAMMA.

Diliciae? tibi stent. Per nos iam corrige: *Glandes.*
 Deme *Poetarum*. Rectius adde: *Suum*.
Nec tales ausis ultra memorare *Poetas*:
 Immo *Poetarum* dic magis opprobrium.

IN HOMINEM EGREGIE IMPVDENTEM.

EPIGRAMMA.

Nulla fides, pietasque homini. Color unus, et idem,
 Aenea quem prae se signa vetusta ferunt.
Vna nepotandi, furandi eademque libido,
 Venalis totus, semper et ambiguus.
Humanos illi vultus natura negavit,
 Tutius a monstro quo tibi sic caveas.

DISCIPVLVS IN PRAECEPTOREM LAVDVM IMMODICVS.

EPIGRAMMA.

Hic vir, hic est tibi doctorum doctissimus unus,
Quod praeceptorem contigit esse tuum?
Iam praeceptorem invideat tibi nemo deinceps,
Nec praeceptori discipulum invideat.

OENOPHORVS FRACTVS, (a) ET MATELLA INTEGRA.

EPIGRAMMA.

Inscriptos titulos, Musis, et Apolline dextro,
Oenophorum fractum spurca *Matella* vocat.
Se nempe *integram* putat haec! Contendere nolim.
Sed *fractum oenophorum* vel bene olere potest.
Amphora nam licet Aesopi frangatur, odorem,
Quo semel imbuta est, docta probarit Anus.
Spurca *Matella* tamen, sit quamvis *integra*, naso
Nil unquam praeter stercus, olere queat.

(a) Vulgo: *fiasco rotto.*

IN IDEM ARGVMENTVM.

EPIGRAMMA.

Obtulit imprudens Asino bellaria Promus,
 Quae satur ipse licet, Iupiter appeteret.
Olfacit haec Asinus. Foeni nîl naribus haurit.
 Quid miser? extrivit calcibus, atque abiit.

INDIGNATIO.

EPIGRAMMA.

Tuque virum incessis, *testemque* audes vocitare,
 Non hominem veritus, non veritus Socium?
Talia Pontifices cum Pontificaliter ausint,
 Quid non vappa ausit, sordidus aut balathro?

AD CONSVM.

EPIGRAMMA.

Me *Gladiatorem* fecisti, Conse? Benigne!
 Et puto, *Samnitem*, nam tibi notus ego.
Tu seu *Threx*, seu *Mirmillo*, seu retia tractans,
 Nunc age, dic, numera; quot iam habiturus eris.

TVRPE, EX ALIENIS FAMAM AVCVPARII.

EPIGRAMMA.

Ibat ab argenti gravis, auri et pondere multo
 Mulus, et erecto pectore substiterat.
Subrisit salse Mulo Carpinus: Amici
 Plaudunt, illorum et concrepuere manus.

Cur ita, Mulus ait? Carpinus at acrius instat:
Non tua, Mule, geris: Vix aliena trahis.
Mulus ad haec: fato, Carpine, urgemur eodem:
Ne me tu spernas, non tibi ego invideam.
Impositas vectamus opes utrique. Sed uti,
Nec scis ipse tuis, nec potis ipse meis.

IN CVIVSDAM EFFIGIEM.

DISTICHON.

Et tibi risus inest bifido, male fide, labello,
Quo Christum Iudas proditor appetiit.

IN CATELLVM.

EPIGRAMMA.

Qui nos, semihomo, laudat, te iudice, laudat
Stercus. Nempe tibi sat bene stercus olet!
Hic tamen, hic odor haud nostro de pectore manat,
Totus at a stomacho refluit ille tuo.

AD NVNTIVM QVEMDAM.

ELEGIA.

Galba tibi *Tribus* est Nunti? conceditur uni,
Quod lateat doctos, hoc didicisse tibi.
Paucula nunc referam, gratae munuscula mentis,
Pro longo, mihi quod scribis, epistolio.
Nec tibi iam vereor romano sistier ore,
Qui tibi romani sum rudis eloquii.
Sed quae rescribam? nihil est, quae scribere possum:
Nam quae tu scribis, si teneo; peream!
Quaesivi, si quis fortasse teneret. At idem,
Qiu tua legerunt, casus, amice, premit.
Amplius. Hi iurant, et te, qui talia fundis,
Nescire, et tibi, quo pergere, propositum.
Sic fluere ignovomum, turbatis omnibus, Aetnam,
Et vana aegrorum somnia sic agier.
Nec te crediderim, de te diversa putare:
Suppudet at victum, verba deesse tibi.
Quid porro faciam? Dicas, quodcunque libebit,
Seu scribas, Nunti, surdus asellus ero.

IMPORTVNVS ROGATOR.

EPIGRAMMA.

Carmina poscenti, promittit carmina Paetus.
  Graeca tamen poscit callidus Archilocus.
Cum *betha* graecum vix Paetus noverat *alpha*;
  Haeret et in *delta*; caetera, mens alacris,
Et scio, te graecas, inquit, didicisse *Kalendas*.
  Dum redeant ergo, *carmina graeca* dabo.

ARGVTA RESPONSIO.

EPIGRAMMA.

Omnes inveni, quas et periisse, timebam!
  Sic Sextus: *claves* et quatit ipse manu.
Frater ad haec: ne dicas *omnes*. Maxima namque
  His deest, quae nusquam repperienda tibi.
At qualem, germane, putas, rogat iste? *cerebri*,
  Frater ait ridens, Sextus et erubuit.

STVLTA SEVERITAS.

EPIGRAMMA.

Dum stultos Balbus nimia asperitate fatigat,
Infestos abigit, nec sinit esse bonos.
Se tamen his iactat Medicum? Qui scilicet illis
Non prodest quidquam, dum nocet ipse sibi!

IN HOMINEM VERSIPELLEM.

EPIGRAMMA.

A tergo caesum queritur se Balbus, et hostem,
Quem foret ulturus, non patuisse, sibi
Scilicet hoc urit Balbum, quod (qui suus est mos)
Eheu! non illo tempore Ianus erat.

VANVS POLLICITATOR.

DISTICHON.

Nil sperare, doces, qui spondes omnia, Curti:
Nam dare verba soles, praetereaque nihil.

IN POETAM HIRPINO NVMINI LITANTEM.

DISTICHON.

Par Numen Vati: gens nulla huic supplicet Hirpo,
Et Vatem Anticyras Phoebus adire iubet.

PONS NIGER.

EPIGRAMMA.

Iusserat, a *Nigro* sibi *Ponte* caveret ephebus,
(Qui vulgo *Obscurus* dicitur) Eusebius.
Haec verbum verbo, tamquam dictata magister,
Nec semel, invitum reddere compulerat.
Desine tandem, ait hic! *Pontem* non saepius illum
Ingrediar, *nigrum* quem vocitare placet.
Saepius? iste furens inclamitat! Ast ego: *numquam*
Edixi, *numquam*. Me-ne, sceleste, tenes?
Quid plura? hic iam tertius annus: dicere *numquam*,
Iratus nondum destitit Eusebius.

NOVITATEM ADFECTAT GLORIAE IMPOTENS.

DISTICHON.

Foedasti historiam. Quid per te fabula speret?
Vanus uterque labor! Fabula totus eris.

IMPORTVNVS PETITOR.

EPIGRAMMA.

Dic, da, fac, tria tela manu geris, Harpage, semper,
Et latus assidue, pectus, et ora petis.
Proiice tela manu: miserum sat cernis habere!
Vel primum retine, caetera proiicito.

IN CORVVM.

EPIGRAMMA.

Aeternum Corvus, Musarum Praeses in arce,
Dum petit imperium, sortibus urna negat.
Concidit hinc vultu Corvus, miserabile visu!
Et duplicem ex imo corde trahit gemitum;
Quo vel Parnassus ruat abs radicibus imis,
Additus aut Ossae Pelion ipse ruat.
Musarum interea stetit Arx, mirabile dictu!
Sed sua stat dicto, stat fidei ratio.
Musae quippe omnes Ephesinae fata Dianae
Subveritae, trepidas supposuere manus.

NOVITATIS STVDIVM.

ELEGIA.

Vel duo, *vel nemo*.. At cessas, et magna minaris
  Porro! Perge: quid hoc, dicere ne pigeat.
Paucis tu stomachans (iurarem sacra ferentem
  Iunonis): sordet iam mihi vulgus, ais.
Auriculas acuo. Quid *nemo*, *vel duo? qui? quo?*
  Arrectum spes hinc, inde metusque tenent,
Detonuit. *Duo*, *vel nemo* Προβληματα docti
  Ζηματα, τους μυθους, κιστικα nostra ferent.
Πνευματα praetereo, και τον νουν, ε'ντελεχειας,
  Ψυχην, Ουρανιον, και το τι εστι rei.
Nec tu mireris. Non omnibus ire Corinthum.
  Sunt sacra, quae nulli sint adeunda viro.
Laudo, inquam. Miror tamen, haec te prodere coram,
  Quae liceat nulli tangere, sacra manu.
Quid facerem? rerum me denique cogit αναγκη;
  Cur graeci videar nam rudis eloquii?
Sed cave, ne nubes captes, dulcissime! Recti
  Nos fallit species; sed magis umbra novi.

IN MALEVOLVM DETRACTOREM.

EPIGRAMMA.

Me graece ignarum tibi dixi saepe roganti:
Cur tibi, cur numquam creditus ipse fui?
Haec eadem de me referens nunc ipse rogantibus, ecce
Miraris, tibi quod credere nemo velit.
Non ego ventosae capto praeconia plebis.
Figere ubi nolo, castra, aliena puto.

IN PETITOREM IMPVDENTISSIMVM.

EPIGRAMMA.

Autumat, et iurat Paetus, nec credit Apella,
Numquam, quod meminit, se petiisse *nihil.*
Immerito. Numquam Paetus petiit *nihil.* Immo
Omnia, sed simulans, appetit, atque petit.

IN FVRIVM.

EPIGRAMMA.

Tu quoque nunc nostras et foedature Camoenas,
Accedis, Furi, quod piget ex animo!
Duplex namque tibi malum, et intractabile utrumque.
Vis, dicam? mala mens, et malus est animus.

AD CALVVM.

EPIGRAMMA.

Quod tibi cura fuit, Philodemi noscere librum,
Laudo, Calve; tuo gratulor ingenio.
Sed nisi bis denas dialectos noveris, et quae
Praeierint Semo, nil tibi proficiet.
Noveris: at nisecla deinde quaterna recurrant,
Nil inde extundas. Lex ea scripta Libri.
Si maneas, recte est. Sed vitae hoc ducere pensi,
Quis praestet? Quin age, vade, vale.
Defer ad Elysios chartas. Sic denique felix,
Inter et Elysii somnia, doctus eris.

RIDICVLA ALTERCATIO.

EPIGRAMMA.

Quattuor adde *tribus*. Quanti numerabis utrumque?
Bis ter Lucanus, dat mihi *quinque* Lycus.
Acris, et in longum trahitur lis. Pulcra Lacaena
Non magis in Troes Helladas impulerit.
Et falsi arguitur Lycus, illo instante, diuque
Fabula sic vulgi, ludibriumque stetit.
Turget Lucanus, magno et velut Hectore, Achilles,
Prostrato, cunctos se domuisse, putat.
Turges immerito, tum *Tertius* inquit! et ipse
Non minus a meta, quam tuus hostis, abes.
Intendas ultra, aut citra, mihi semper aberras.
Da *septem*, plaudi si tibi iure velis.
Falsi quid prodest aliena revincere, si tu
Nil caveas, amens, nec meliora refers?

IN HOMINEM LOQVACISSIMVM.

EPIGRAMMA.

Cum tibi verba pluant, ad crebrae grandinis instar,
Quaeritur, humani cur nihil inde sapit?

In promptu est ratio: tibi nam situs anus in ore est;
Vnde cacare potes, non potes ore loqui.

PARAPHRASIS.

Mentre da' labbri tuoi
Tronche parole e sillabe,
Al par di folta grandine,
Piovono a mille a mille;
Ond' è che nulla spremere
Quindi si possa mai,
Che dell' uman risappia
Comune ragionar?
È la risposta facile,
E non si può sbagliar.
Per un error fatale,
A te natura in bocca
Il deretan piantò.
Qual maraviglia dunque,
Se tu parlando sempre,
Senza conchiuder mai,
Solo cacar potrai?

IN CORVVM, CVI FORTE NOMEN CORNV.

EPIGRAMMA.

Durus es, et a recto semper deflectis, et aequo.
Nil solidi intus habes, plenus et es vacui.
Triplex haec *Cornu* nota, quo tu Pana bicornem,
Quo Faunos superas, cornupetasque boves.
Non placet idcirco, *cornutum* dicere *Corvum*,
Sed cornutorum dicere Pontificem.

IN QVEMDAM, CVI NOMEM *PONTIFEX*.

EPIGRAMMA.

Qui te Pontificem dicunt, mirantur, eumdem
Sic bene *Carnificis* posse subire vices.
Parcendum: quod sacra latent archaica vulgo.
Pontifici nomen, quod *potis est facere*.
Ergo *Pontificis* merito tibi nomina quadrant,
Qui tantum in miseros *es potis*, *ut facias*.

In vitulo cauda articulum suffraginis contingere debebat: breviore non litari, putabant. Plin. L. VIII. C. 45.

EPIGRAMMA.

Quod carpsi summas media inter cornua setas,
Hoc satis. Haud ultra est, quod timeas, *Vitule.*
Namque tibi modicum *cauda a suffragine* distat,
Quo nulli caderes hostia grata Deo.

IN FVRIVM VATEM.

EPIGRAMMA.

Nulla parem vatem, Furi, tibi protulit aetas:
Nulla parem, Furi, proferet ulla dies.
Nam tibi, pro Musis, Dirae; Iuno dedit oestrum;
Lampsacides cytharam; dat Galeota modos.

IN EVMDEM.

EPIGRAMMA.

Tam tibi parvus ego! sed quanti, dic, age, Furi?
Quanti fortassis parvus *asilus*, ais.

Tecum ego splendidius: pulcrae aequiparabo iuvencae.
  Tu mihi sic *Io*, tecum ego *asilus* ero.
Sed nulla a tali Aegyptus te servet *asilo*,
  Nec si Cimmerios, Antipodasque petas.

NE VLTRA LACESSAT.

EPIGRAMMA.

Si sapis, hunc ultra silicem ne percute, demens;
  Ne tangas; limis parce videre oculis.
Vel visu, tanto ardebit violentior ignis,
  Quanto fodisti stultius hunc gladio.

BVBO PLAGIARIVS INSIPIENS.

EPIGRAMMA.

Suppositaque pater potuisses prole videri,
  Et turpi plagii, Bubo, carere nota!
Mens sed laeva fuit. Plagii tu denique testis,
  Et iugulum incautus tu petis ipse tuum!
Quis pater ignoret natorum iura? sibi quid
  Sit rarum in loculis, sepositumve domi?

Quae tamen ut norint alii, ignarissimus unus
  Ignoras, et quae si quis neget, ipse negas.
Foeturasque alias audes promittere? dudum
  Aetate effoetus, desine, Bubo: tace.

IN HIRPINVM.

EPIGRAMMA.

Insultas iam pridem, Hirpine, opibus male partis,
  Quantas nec Verres de Siculis rapuit.
Et nunc insultas Musis vix nomine notis,
  Quas *inopes* idem dicere saepe soles!
Sint et Musae *inopes*, nec enim contendere vellem:
  Musarum sed *inops* tu quoque, stulte, magis.

MOLANO.

EPIGRAMMA.

Carpere seu placeat tibi, seu laudare, Molane,
  Nec laudes prosunt, nec maledicta nocent.
Non prosunt laudes, quod es illaudabilis ipse;
  Nec maledicta nocent, quod tibi nulla fides.

Quid, quod nec laudare viros, nec carpere nosti?
Latras, vel lambis. Notus ubique canis!
A nostro discas nunc tu sic ungue *Leonem*,
A cauda ut noram iam prior ipse *Asinum.*

RISVS INEPTVS.

EPIGRAMMA.

Nil sine risu audes, ludas, an seria tractes,
Risuque hocce tuo nil mage ridiculum est.
Ast, asinus-ne rudat, dum sic, stultissime, rides,
Sternutetve magis, dicere quis poterit?

AD BVBONEM.

EPIGRAMMA.

Bubo, quid frendes, incensaque lumina torques?
Dirae nempe agitant! et vetus hocce malum.
Non bene iam patriae: *Musarum Regia nutat.*
Papae! res est non ludicra. Perge modo.
Quid Festo, et Musis? tota cantabitur urbe..
Siste, precor, Bubo.. Sedulus ecce vocat.
Quem? quo? te ad caenam. Properas: deferbuit ira.
Non famae, at famei consulere, est animus.

BONORVM FVNERI BONOS, QVORVM RES AGITVR, ADESSE AEQVVM EST.

EPIGRAMMA.

Res agitur vestra. Ohe! Aerarî summa laborat,
Aut tanti unius funera nunc facimus?
Sic Cynico quidam rictu, vultuque severus,
Cui probro semper laus aliena fuit.
Atqui *non tua res agitur*, nec summa laborat
Aerarî, clamat, nescio quae, mulier.
Tu procul hinc abeas; nam *res est tota bonorum*,
Non bene cui solus tu *malus* intereris.

IN MALVM POETAM.

EPIGRAMMA.

Legi, perlegi tua carmina. At anxius instas,
Vt quanti faciam, candidus expediam.
Expediam, modo ne dicti vadimonia poscas.
Nam fateor, metuo iudicio ipse meo.
Ohe! tu quanti demum, dic, plusve, minusve,
Si quando ingenuos libera verba decent.

Quid faciam? et rubeo, et cunctor. Sed quando ita visum,
  Candidus ingenue libera verba loquar.
Phoebo *Asinus* sacer est, verum si fabula narrat:
  Nulla Deo, prae *Asino*, victima grata magis.
Tu nunc parce *Asinis*: Phoebo tua carmina mactes.
  Stant pro mille *Asinis* carmina quaeque tua.

PRO ALVO INCOLVMI, EMPLASTRI OPE PRAESENTISSIMI.

HENDECASYLLABI.

Quas tibi referam, Molane, grates?
  Quo te munere munerabor inde?
  Vnus tu potis omnium fuisti
  Bilem pellere contumaciorem
  Quovis glutine contumaciori.
  Alvo nam mora longa erat cacandi,
  Cui non hellebori usus, atque malvae
  Quidquam profuit, ut solebat ante.
  Et iam iam Medici morosiores
  Mussabant, nihil esse, quod rogarent
  Artem, praesidii potentioris.
  Sed casu applicitus tuus libellus

(A praeloque recens adhuc madebat)
Hausit quam cito, quod latebat intus,
Oh! factum bene! bilis, et veneni.
Quas ergo referam, Molane grates?
Quo te munere munerabor inde?
Quem *culum* vocitant parum pudenter,
Hunc porro vocitem *tubum molanum*,
Qui te perpetuis beabit auris.

INVIDIAE SVSPECTVS, QVI OMNES DAMNAT.

EPIGRAMMA.

Laudares aliquid, quorum omnes plurima laudant,
Si veri studium dux tibi propositus.
Omnia sed damnas. Alieni nominis ergo
Te nunc fama urit: rumperis invidia!

IN LABEONEM

DISTICHON.

Latrat adhuc Labeo, messis iam tertia. Nempe
Accepto iam tum vulnere, moeret adhuc!

RECITATOR IMPORTVNVS.

EPIGRAMMA.

Desipiunt omnes, tibi tu sapis unus. At unus
Id nosti, nemo praetereaque alius.
Fac, alii norint. Tu mira poemata pangis.
Ne cesses, addas carmina carminibus.
Tum si forte quis occurret, quem Iupiter odit,
Quod patris, aut matris minxerit in cineres;
Nolit, sive velit, lege, perlege. Denique plaudet;
Nec tibi, nî victus plaudat, abire sinas.

SENEX AMBITIOSVS.

EPIGRAMMA.

Nil satis huic homini est. Astu, vi, quidquid honorum est,
Sectatur. Nullus par queat esse canis.
Praeter at octavam, decas en illi altera surgit.
Quippe *senex* nondum destitit esse *puer*!

IN CORVVM.

EPIGRAMMA.

Pollebat Corvus plantis, ut praepete penna
Cornix. Nunc curru pollet Ericthonio;

Quo vehitur turgens, quo nocte, dieque fatigat,
Qua Regumque aulas, qua Procerumque domos.
Callidus et foedis aliorum docta sub alis
Scripta ferens, vendit nomine supposito.
Plauditur a doctis, miratur vulgus ineptus,
Pavonem indutus Corvus et erigitur.
Si tamen hic sapiat, cornices ipse caveto,
Ne male detectam depoliant sociae.

IN CELSUM.

EPIGRAMMA.

Quid faciat Celsus? Bassum vult perdere: vires
Deficiunt. Animum vertit ad insidias.
Nil homini sanctum. Mentiri, saepe necesse est:
Mentitur. Basso si male sit, bene habet.
Sed frustra tamen est: nam rupes imminet illi,
Quam non avertat Iupiter ipse pater.

PERICVLO PROBANTVR FORTES.

EPIGRAMMA.

Quid non posse, putes, Buteonem? creditur, uni
Credita, quae cuivis singula scire datum.

Ergo adit hunc quidam, et quod filia nupsit honeste,
  Obsecrat, ut sponsos carmine nobilitet.
Me-ne, inquit, iuga Parnassi conscendere? montem
  Laudavi semper, semper at inde procul.
Cur ita ais? famam nec possim aequare Maronis,
  Sive, Catulle, tuam, seu Venusine, tuam.
Ille sed haec contra: Buteo, hoc te semper amavi,
  Quod *pauper* fatis urgeor ipse tuis.
Vinitor ecce ego. Cur? virtutem aequare Catonis,
  Nec pectus possum, magne Camille, tuum.

STVLTA IACTATIO FIRMI.

EPIGRAMMA.

Hem! Plauti taceat miles. Prae millibus, unus
  Stat Firmus. Discat quisque timere sibi.
Quem semel arripuit, digito premit, et tenet unco,
  Discerpit, sternit, disiicit in cineres.
Scilicet haec *Firmus*, qui quos non perdidit, odit,
  Et quos iam metuit, spernere se simulat.
Discat at ille tamen, neglectos saepe lapillos
  Incurrisse altis molibus excidium.

PARAENESIS.

EPIGRAMMA.

Quam quisquis Spartam nactus, colat: omnia namque
  Posse omnes, aequus Iupiter ipse negat.
Nec tanti est quivis, ut possit adire Corinthum.
  Vulpi immaturus saepe racemus erit.
Collige te; vires perpende; aliena relinque,
  Qui potis exemplo es iam sapere ipse tuo.
Nil tibi cum Latii Musis. Aversus Apollo
  Virgineos prohibet contaminare choros.
Si famam quaeras, alio de monte petatur.
  Ardua, sed laudis non tamen una via est.
Quod si de parvo cerebro nil promere possis,
  Quo docti assurgant, te celebrentque viri;
Quis vetat, *esse bonum*? scelus est, hac laude carere;
  Nec lauro, ut caveat fulmine, iustus eget.

NON PLACET FVRIO DICTVM IN CARMINE FVNERARIO

Dormi, sancte Senex.

EPIGRAMMA.

Dormi, *sancte Senex*. Vah ! quis sommo accinet, inquis?
Iam bone, tu stertis ! Dormi in utrumque latus.
Dormi, pupe senex, cui dudum pallida barba,
Non uni somnus nam medicina malo est.
Si male de somno surgas, cantabitur *illa*,
Illa dies vigili *magna*, et *amara* nimis.

IMMERITO QVERITUR QVIDAM, A NEMINE SE LAVDARI.

EPIGRAMMA.

Te laudat nemo ? Doles: Ast tu carpis et omnes,
Quoque magis praestant, carpis et ipse magis.
Laudabis porro. Factum improbo. Cur ita, quaeris?
Quod laudare tuum, ut scire tuum, nihil est.
Quid faciam, instabis ? Si me audis, disce tacere.
Posse, negas ? Ergo rumpere, et usque latra.

IN EVMDEM.

EPIGRAMMA.

Te nemo laudat? Nihil est. Laudabimus ipsi.
  Accipe nunc fronti debita serta tuae.
Et quamquam non illa tuis sint cornibus apta,
  Accipe, et in magnis nam voluisse, satis.
Hoc in monte tuo, solus quo saepe vagaris,
  Glandea ubi porcis suppetit ampla seges;
Quo rudit, et pedit sine lege protervus asellus,
  Vnde stat Arcadici gloria nota soli;
Quo tibi per montem ferali carmine bubo
  Bubulat, et Musis accinit usque tuis;
Hoc in monte unus, quis enim porro audeat alter?
  Vnus vix certet, vix *Galeota* tibi.

FVNVS COTVNNI LAVDATVR.

EPIGRAMMA.

Quod te laudarit noster post funera Vates,
  Dii bene facerunt, docte Cotunne, tibi.
Quem si laudasset vivum, detractus ad Orcum,
  Infecto iam tum stamine, forte fores.
Nunc tibi suppositi nos, succidanea porca,
  Carminibus miseros quos necat ille suis.

CALCES PRO CARMINIBVS.

EPIGRAMMA.

Excipis excuso, Maevi, male carmine Sextum:
A Sexto, Maevi, calcibus exciperis.
Ut Praetorem adeas, ius nullum: nam tibi Sextus
Est *Asinus*; calces munera sunt *Asini*.
Te tamen ulturum, spondes: nam carmina, clamas,
Addam. Abeunt calces; carmina scripta manent.
Non renuit Sextus. Cumules tu carmina, Maevi;
Ipse addam calces. Stet sua utrique fides.

PHOEBI MONITVM.

EPIGRAMMA.

Vltra tendenti vellit mihi Cynthius aurem,
Et gravis haerentem talibus increpuit.
Nec cessas, insane? bovis, ranaeque memento.
Clamet rana licet, bos sua rura colat.

SIMII VANA SEDVLITAS IN τοῖς ἑαυτου σχεδιασμασι VVLGANDIS.

EPIGRAMMA.

Perque virûm choreas audes vulgare libellos,
Qui male semper olent, Simie vane, tuos?
Non his crassae adeo nares! Tu porrige porro,
Queis lucro est, alec vendere, sive piper.
Immo *Carnifici*: nam quae tua denique cuncta,
Non male dumtaxat, sed *laqueum* redolent.

IN SECVNDVM.

EPIGRAMMA.

Nempe, Secunde, gravi iam morbo urgemur utrique,
Cui nulla fiat post medicina manu.
Vrget nos *morbus*, qui dicitur esse *bonorum*,
Tu miser aeterna rumperis *invidia*.
Nos tuus at relevat *morbus*; nosterque, Secunde,
Te gravat assidue, te magis, atque magis.

LAQVEI METVS RESTITVTIO MENTIS.

EPIGRAMMA.

Vt *laqueum* vites, stultum te fingis, o ipsa
Stultitia longe stultior ardelio!
Dat sapere, at modicum, *laquei* metus. En erit umquam,
Quo semper sapias, ut tibi det *laqueus*?

IN RAPINVM.

EPIGRAMMA.

Quid noster? famam scribendo quaerit. Habebit.
Qualem, inquis? qualem vix Galeota habeat.
Scribere nec tantum patiens, clamosus ubique
Latrat, baccatur per fora, perque domos.
Non tamen haec audet, nisi festis ille diebus,
Namque aliis cogit *Creditor* esse domi.
Multa Colossaeo minitatur saepe cothurno.
Incipit: ad liquidum praetereaque nihil.
Progrederis, plusquam Galeota, Rapine! satis sic.
Quantus es, et qualis? magnus es ardelio!

IN EVMDEM.

EPIGRAMMA.

Vae cui, vae queis laudari a te contigit! oh! si
Carpas! quod laudis certius indicium?
Per te nec *Laurae Vati* bene creditur. Ille,
Iudice te, patrii perditor eloquii.
Dic mihi, per caelos oro, per numina Divûm:
Quanti nos, quanti teque, Rapine, facis?
Quid morer? incendant nisi tales templa Dianae,
In nihilum nomen iam sine nomine abit.

BASSVS.

ELEGIA.

Dum veterum titulos tractas, Celse, incidis in.. *tal.*
Quid, bone, nunc facias? ecce *bidental*, ais.
Latius at paullo spatium. Et medicina parata'st.
Namque *bidental* idem praecipis esse *duo.*
Sed poterant facile haec cuivis mera monstra videri.
Dele igitur; melior nam medicina patet.
Pelle *bidental*, quo nil tristius, et *duo* dele.
Redde: *Augustalis*, qui scopus est Lapidis.

Hinc *Nuceriae. et.* adiicias apte : *Stabiarum.*
Integra sic species marmoris ecce redit.
Sed mihi tu frontem caperas, pallesque, rubesque ?
Est humana pati poena hominis miseri !
Aspice. Sol rediit, pelluntur nubila caelo.
Aspice. Doctorum plaudit ubique chorus.
Vanus ego! Celso tanti quae gratia facti ?
Qualem vix aetas postera crediderit.
Marmora quot Bassus solidos per quattuor annos
Legit, perpoliit, perdere constituit.

ETYMON.

ELEGIA.

Nominis unde, Molane, tui vestigia prima
Ducantur, multi saepe rogare solent.
Non eadem mens omnibus, et diversa sequuntur
Diversi, quorum haec est brevis historia.
Est Vrbis locus ad sinuosi limina portus,
Scurrarum assidue quo genus omne coit.
Hunc dixere *Molum*, de quo olim *Quattuor* illi,
Queis sunt a tali nomina ducta loco.
Et puto sic dictos, forinis quod nempe quaternis,
Quod foedum est Vrbis, confluit in pelagum.

Sunt et qui nomen quaesitum forte Molano
Inde volunt, quo quid stultius esse queat?
Est *Mola*, quam dicunt *salsam*, qua numina poscit,
Divite qui pauper ture litare nequit.
Nec tamen hinc recte του στυμου ducatur origo:
Haec etenim *salsa* est; totus hic *insipidus*.
Singula quid memorem? Quidam sic: parcite, Musae,
Queis est ante alias virginitatis honos!
Est *Mola*, quam mulier male firma concipit alvo,
Quales foeturae saepe, Molane, tuae.
Nondum desierat. Plaudunt plerique. Sed omnes
Quaerendum ulterius denique conveniunt.

CANES ARCHAICI.

ELEGIA.

Consini, de more, canes vacuum prope litus
Conveniunt, quando sic Domino placitum.
Coeca fames ventrem fodicat. Iam proxima caena est.
Ringuntur miseri, sed taceant, opus est.
Accubuere omnes; arrectis auribus adstant;
Ventilat a tergo cauda cuique sua.
Praefatur paucis, qui praeest: heic quando *coire*,
Ius est, quod felix auguror, atque bonum;

Dicam: Quaestio nunc vobis agitanda, Sodales;
  Intendatque animum, quid sibi quisque velit.
Libera res est: quae nobis sanctissima iura,
  Queis inter doctos iure praeire, datum.
Ergo de *Consi* quid quisquis nomine sentit,
  Ex vero, et paucis (iam licet) expediat.
Consum a *consilio* quidam voluere. Sed omnes
  Contra: quid Conso stultius esse potest?
Arrigit hinc aures alius; dein talibus infit:
  Sit mihi nulla fides, si modo sit venia.
Neptunum dici Consum, quis denique nescit?
  Quem nostrum lateat nominis et ratio?
Hic Deus, hic barba, saevoque tridente timendus,
  Cui soli, Ponto ponere iura, datum.
Nec minus in pueros hic, flagro, atque ore tremendus,
  Imperii exercet libera iura sui.
Prosilit at claudus contra, veniamque precatus,
  Parcite, ait, Socii: mens mihi longe alia est.
A *cornu* repeto Consum: nec dicere causam
  Quadrupedes inter me piget Arcadicos.
Ante *Lases*, qui porro *Lares*; et *Fusius* olim,
  Qui nunc iam nostra *Furius* aure sonat.
Ergo de cornu fac *conru*: porroque *Consu*,
  Sigmate literulae supposito rabidae.

Nec spernenda Canum Patribus sententia visa:
Sed pars interea pleraque pendet adhuc.
Tum Senior, cui frons attrita, et lumen ademptum,
Et dentes nulli, quod magis excruciat.
In scenam qui prodierant, hos laudibus omnes
Exornat, nulli quo locus invidiae.
Proloquar, hinc ait, et quae animo sententia sedit,
Expediam. Caudam, qui probat, hic agitet.
Quem pigeat, raptas olim meminisse Sabinas,
Et stata Romulidis annua sacra viris?
Quem latet, et tanti quo staret gloria facti,
Sollemnem Conso constituisse diem?
Optasset noster dici *Pater*: esse vetabat
Vis genitrix; rabie namque erat aridior.
Quid faceret? Conso ingenium placet anseris, ova
Qui fovet astutus, sint aliena licet.
Sic fatus tacuit, plausumque dedere *Catelli*,
Et quo quemque vocat spesque, famesque, abeunt.

DE SE IPSO.

EPIGRAMMA.

Vt taceant cives, tantum potuisse laboris
  Vnum humeris hominem sustinuisse suis;
Clamabunt Lapides, aetas clamabit et omnis,
  Si modo non aetas omnis erit lapidum.

APOLLONIVS, NISI PIVS OFFICIO PRAEEAT, AVLAM ADIRE RENVIT.

EPIGRAMMA.

Advolat Euboica Rethor de Chalcide Romam,
  Pelidae ut Chiron, deditus Aurelio.
Et negat, Augustas se posse accedere ad aedes,
  Causatus sancti iura magisterii.
Nempe fuit levius, Pius inquit, Chalcide Romam,
  Quam Roma nostram, Rethor, adire domum.

MOEVIVS POETA MALVS.

EPIGRAMMA.

Versibus indignis miserum recitator acerbus
  Maevius Euphemum nocte, dieque necat.

Accipit hinc fricti ciceris munuscula quaedam
Maevius, et versus duplicat ipse suos.
Et quo, Eupheme, rogat, pro tantis munere donem?
Ecquid pro tantis inde referre queam?
Vnum, ait Euphemus, si vis, me vivere, Maevi.
Si potes, ut taceas, praetereaque nihil.

TEMPORVM INIQVITAS.

EPIGRAMMA.

Pantolabus vix pauca serens, metit undique multa:
Multa serit Bassus, nil tamen inde metit.
Nec numero tantum Bassi sata, crede, praeire;
At praeeunt multo conditione magis.
Desine mirari. Non cuivis omnia posse,
Sorte datum. Serit hic: alter at inde metit.

IN ARDVIS TVO TE PEDE METITOR.

DISTICHON.

Ceratis alis Solem contendere contra,
Hoc est Icariis addere nomen aquis.

BARBVLA CONIVGII FRAGRANS DESIDERIO A FIDE CATHOL. DEFICIT.

DISTICHON.

Ad Lutheri tacitus transit male Barbula castra.
Quidnam hoc? Nempe calet, coniugioque inhiat.

IN NVBIVAGVM, CVI *NEMINIS* NOMEN.

EPIGRAMMA.

Aeriae Cymbae iam dudum Lama repertor:
Non tamen at *Cymbae* temo repertus erat.
Repperit hunc *Nemo* nuper, moderatur et ipse,
Et quocunque libet, solus it, atque redit:
Exin humi misere miseri dum repimus omnes,
Nemo per nubes solus ubique volat.

INSCRIPTIONES.

LIB. IV.

I.

FERDIN. II. IN PATRIS FVNERE.

EPIGRAMMA.

Quandoquidem nostris addenda et funera Regum,
Et stata sub caelo meta cuique sua est;
Vt Fernandus Avi, et Patris nunc funera pensat,
Pensentur Regum funera perpetuo.

II.

PRO FVNERE DOMINICI COTVNNI.

EPIGRAMMA.

Pro vitae penso, longae pro foenore vitae,
Praemia sat famae digna, Cotunne, tuae.
Tristia sed nostrae reputans incommoda vitae,
Est hora brevior visaque vita tua.

III.

1.

Francisco I. Sicil. Reg.
Quod Aedem sacr. Congreg. Mont. Vergiliani,
Tempor. iniquitate abolitae, et a Ferd. I.
Restitutae an. 1815 cum addita
Episcopali iurisdict. iure postliminii,
Venerabundus adivit an. 1826. d. Aug. 25
Cum Elisabetha Coniug. Aug. suboleq. beatiss.
Seque cum Famil. universa
Sacro cooptatum voluit Sodalitio:
Raym. Morales, Abb. Congregat. Generalis,
Ne rerum memoria deleretur,
Quantum humana patiuntur, cavend. curavit.
An. 1826.

IV.

2.

Francisco Borbon. Regi, qui Montem
Aedis Vergilian. cum Domo Augusta
Mane conscensurus, nocturno primum
Hospitio dein repedans diurno, nocturnoq.
Laetissime exceptus,
Hospites sibi addictiss. complexus amantissime,
Maiestatis beavit facilitate:
Lustrato inter haec Archivio Lauretano,
Iam tum ab an. 1815. Ferd. I. diplomate.
Restituto.

Raym. Morales, Abb. Congreg. Generalis
Cum Coenobitar. Familia an. 1826
Libens merito.

V.

Aedis hvius structura,
Positis olim fundamentis,
Cum tholo, ambituq. exteriori,
Post tempor. infelicitate, intermissa,
Nunc aris, septoque marmoreis, picturis,
Omni ornatu operis absoluta,
Cur. praecipue D. Mariae Crucifixae Patulliae,
Loci Abbatiss.
Carolo Puoti Ep. Allif. et Telesin.
An. 1830.

VI.

Aedem ab origine Episcopal.
Milit. deinde hospitio corrupt.
Ferd. I. Rex Sicil.
Restitutam, auctam, ornatam
Archiep. Teatino adsignavit

VII.

Abdita Hypogaei
Ex insperato reddita in lucem,
Conlegium Sacerd. Molanor.

*

Crucis sacros. Ligno admirabili
Locupletavit

VIII.

Turrim,
Aeris Campani tinnitu Fideles
Ad convent. sacros Sodalic. Montis Mortuor.
Excitaturam,
Ioh. Granata, Prior Sodalitii,
Sua, Conlegar. et bonor. stipe
An. 1826.

IX.

Templo, novis iactis fundament.
Ad palm. usq. 47. ante solidato;
Sacrarium deinde
Vetustate conlabens, mole angust. forma squalens,
A solo excitavit, ampliavit, ornavit,
Altari addito marmoreo,
Quod sacr. Familiae dicavit.
Ioh. Angelus a Porta Ep. Thermopilar.
Ord. Capucinor.
Proprior Magnus Ord. Constantiniani,
Abbas Loci.

X.

Virgini Deipar. Civitae nuncupatae,
Templum, a vertice montis praerupto,

Campanum hinc agrum,
Paludes inde Pomptinas prospectans,
A Franc. Bonomio Ep. Caiet. consecratum
An. 1824.
Cui addit. Xenodochium commod. peregrinor.
Quod utrumq. vetustate fatisceret, frequentiaeq.
Advenar. impar esset,
Hoc ampliato, illo a sol. excitat. spatiis laxiorib.
Elegantius exornarunt Civ. Itrani,
Stipe conl. Fidel. Cur. Ioh. de Simone
An. 1815.

XI.

Ferd. I. Reg. utriusq. Sic.
Quod Viam Samniticam
De cursu pristino ad Oppid. nostrum
Tramite aequiore, tutiore
Direxit,
Et aquar. conceptionib. ad iusti fontis
Formam coactis, iterum
Civib. incol. accol. adven. auctam
Praestitit,
Ord. Populusq. Guardiae Sanframundi,
Rectore Prov. cur. agente.

XII.

1.

Agrum ante salsum,
Detersa silvar. luxuria,
Vitib. arborib. genus omne pomiferis,
Vere colonum factum,
Cellis vinar. Columbariis, Moletrinis
Instructum
Antonius, Laurenti fil. Casazza
Impend. sua.

2.

Aquarum scaturigines diffluentes
In agri perniciem
Intra fontis ambit. coactas
Ant. L. Fil. Casazza de pec. s. f.

XIII.

Pro reditu Ferd. II. Reg. Siciliar.
Non hic Alexander redux,
Indorum spoliis, et caede superbus,
Nec felix idcirco,
Quod Orbem integr. unum armis nondum
Subegerit.
Hic Ferd. II. Rex noster,
Qui de suis ad suos
Suorum in medio rediens,

Omnium animos comitate, iustitia
Sibi devinctos
In Lares avitos traduxit.
Ord. populusq. Mirabellan. qui Aeclan.
XII. Kal. Iun. MDCCC

XIV.

Ruffo Archiep. Neapolitan.
S. R. Eccl. Presb. Card.
Foetura utinam vitulis!
Nt eminentiss. inspecta, dispecta
Oculis:
Nt obstetriciis contrectata
Manibus,
In lucem ne prodito,
Apollin. Decr.

XV.

Ferd. II. Reg. utr. Siciliae
Pro restituto patriae nostrae splendore,
Pristinaq. dignitate.
Raym. Guarinius. Petr. Anton. Rogerius,
IIvir. reb. patr. proc.
Cives. Mirabellani
MDCCCXXII

Quem, Fernande, latet, regum esse, timeri? at amari,
Hoc magis optamus verius esse tuum.

XVI.

Octavio, Bened. F. Claritiae, Dom. Saepin.
S. Th. Mag. ex Ord. Praed.
Ob. d. 16. Kal. Mart. 1824.

Vidit, et integrum me nonagesima messis.
Tertia surgebat, nec datur ulterius.
Si numeres annos, vitae si praemia spectes;
Illorum satis: Haec nulla fuere mihi.
Dum vixi, vixi. Morientem corripuit Mors,
Cumque meis moriens vivo, loquorque libris.

XVII.

A + Ω

ANGELAE SPENSIERI
Typ. VIX.AN.17.M.4.D.16. *Angelica cum*
OB.KAL.OCT.1834. *radicibus aversis.*

Quid faciant nunc externati, orbique Parentes,
Tam cito de nostro, rapta puella, sinu?
Vnica tu miseris fax, tu spes unica, tuque
Vnica labentis sollicitudo domus!
Angelicique tibi fuerant pro nomine mores,
Par et, pro dulci nomine, forma fuit.

Ergo te lacrumis, superet si vita, sequemur,
Tecum iuncturi gaudia post obitum.

XVIII.

Ferd. II. Sic. Rege
Forum nundinarium,
Transvorsum cum Foro Vetere,
Porticu intermedio, continuatum
Ad viam usq. cui nomen a Mortuis,
Valentinus Gualterius,
Eq. Franc. I. Rector Provinc.
Adversis omnibus superatis,
Ad civium utilitat. Civitatisq. ornam.
Dedit Abellinat. an. 1832.

XIX.

Sacellum cum sepulcro gentili,
Quo sui cum suorum
Confundendi cineres,
Raph. Langobardus, Eq. magn. Cruc.
Ord. Franc. I.
A iudic. Cur. suprem. mortalitatis
memor
Instauravit, ornav. a. 1833

XX.

Ioh. Baptista, Carmin. F. Origus,
Primicer. S. Eccl. Sarnensis,
Quam temporib. difficillimis,
Ep. exulante,
Strenue tutatus est. V. a. 59. M. 7. d. 16
Dec. 16. Kal. Febr. an. 1833

XXI.

Theresia, Constanti fil. Angelinia,
Matronalis prudentiae virago,
Bonis artib. ultra sexum erudita.
Non licuit, tecum in longum producere vitam,
Immatura mihi, Livia, rapta soror!
Nunc una saltem cineres in pace quiescant
Compositi, aeternae pignus amicitiae.

XXII.

Ab adserta regni maiestate
Anno C. Ferdin. II. an. III.
Fontem, incuria, vetustate aquis diffluentib.
Plebeculae insolentiis corruptum,
Ad iustam formam restituit
Raph. Quattromani, Elect. Vrbis,
Aquar. Praepos.

XXIII.

Paulus de Ambrosio V. C
Ob sua, suorumq in Reges,
Qua publica, qua domestica
Officia, commendatiss.
Candore animi, religion. studio,
Liberali in omnes ingenio,
In literas, bonasque artes
Voluntate impensiss.
Vix. an. 62. Ob. an. 1837

XXIV.

Philippus, Casimiri F. Ciminellius,
Archipresbit. vix dum dignitate potitus
Eccl. Colleg. insign. S. Mariae Maioris,
Temporaria cum aeternis
Commutavit.
Vir suavitate morum, innocentiaq.
Pietat. in Deum, benignit. in pauper.
Commendab.
Vineae Domini cultor assiduus,
Civib. amicis
Magno sui relicto desiderio,
Dec. 7. Non. Oct. 1838. V. an. 62.

XXV.

Cordi SS. Iesus, et Mariae
Locus sacer,
In privata pietatis officia
Ioh. Bapt. Assinii, et M. Iosephae
Musacchiae Thopia Vxoris,
Indulgentia Apostolica
Greg. XVI. impetrata,
Postrid. Id. Iun. 1839

XXVI.

Cenotaphium pro tempore
Ad pios procerum usus,
Aer. a sodalib. conlato,
Curante Ianuario de Lellis,
Priore Sodalitii,
An. 1840

XXVII.

1.

Aloysia Granita
F. C. e Marchion. Castri Abbatis,
Comitissa Camald.
Prudentia singulari,
Summa cum animi fortitud.
Copulata,

In reb. agend. dexteritate
Vltra sex. praepollens,
In dubiis alienae, quam suae utilitatis,
Faventior.
Adde quidquid commendabile
In femina. Detrahe quidquid molestum.
Illius en species quam tegit hic tumulus
Ob. an. 1832. Vix. an. 62. M. 8. d. 18

2.

Additur et cineri cinis, o lectissima Coniux,
Quae pars votorum, sed tamen ista minor.
Altera nunc superest, quae maxima. Te duce, tecum,
Quo frueris felix, ut fruar ipse Deo.
Franciscus Ricciardius. V. C
Com. Camaldulens.
Animi constantia, et integrit.
Iuris laude, bonarumq. art. studiis
Praeclarus,
Supremis Regni honorib. functus

XXVIII.

Virgini Deipar. de Ponte,
Aere inter se conlato,
Franciscus M. de Luca Archiep.
IIIvir. Curat. Aedis eiusdem,

Ordo, Populusq. Anxanens.
An. 1838.

XXIX.

1.

Mich. Ang. Macryus, Dom. Sidernas,
Neapolim adolescens traductus,
In humanis, divin. Graecis, Latinis liter.
Egregio quoque usus praeceptorib.
Antiquit. patriar. investigator assiduus,
Idiomatis Hetrusci augendi, castigandi
Studiossimus

2.

Locrensi auctus Canonicatu
Neapoli consenuit publica
Inter Minister. negotia Eccles.
Fide, integritate, amicitiae laude
Conspicuus, suo, non sec. fato malo,
Quievit in pace. an. 1837. V. a. p. m. 76.
Macryi Xaver. et Carolus
Fratri desideratiss.

XXX.

Matronae lectissimae,
Cuius in caelo scriptum nomen,
Virum prole locupletavit duodenar.

Quorum nulli umquam defuit
Caritat. sedulitatisve officiis,
Beneficent. in pauper. insignis,
Domesticis attrita curis,
Natis quatuor contra vot. amissis,
Cum aetatis an. ageret quartum ultr. quinquages.
Matura caelo, immatura suis
Dec. 6. Kal. Dec. an. 1837

XXXI.

Quae domus olim PP. Minim. sacra,
Iussu post Ferd. I. an. 1792
Publici Nosocom. usib. destinata;
Hanc Ferd. II. paternor. oper. aemulator,
Absolvit an. 1837.
Huius intra septa,
Genio duce, adliciente solitudine,
Prima ducta stamina Theatr. Anatom.
Descriptivi, et Pathologici:
Quae labore, studio, cur. impendiis,
Antonii Nanulae, Reg. Professoris
Prolatata. An. demum 1837.
Abs Auctore suo
Regiae Vniversit. Neapolitan.
Dono tradita.

Dantis decus aeternum,
Exteris invidia, sine crimine.

XXXII.

Alla memoria innocente
Di Achille Santoro. Visse
An. 4. mesi. 3. Michele Frenna,
Suo Avo materno.
Il pronto ingegno e docile,
Del tuo visetto il brìo,
Troppo sperar facea.
Ma al tuo candore amabile
Il secol tristo e rio
Onta recar potea.
Te quindi il ciel pietoso
Invita innanzi sera al suo riposo.

XXXIII.

1.

Giusepe Fiamingo
Da Riposto di Sicilia
Quì dorme della pace il dolce sonno.
Visse an. 20. morì a'23. Giugno 1837
Se di saper più brami,
Chiunque sei, m' ascolta.
In giovanile etade,

Nè creder già per giovanil trastullo,
Molte Cittadi scorsi, e regni molti.
Or mentre del Sebeto in su le sponde,
Lungi dal patrio suol, lungi da' miei,
Di Temi a' studii i miei pensier son volti;
Morte, il ciel segnando: ed è pur questa
La meta tua, mi dice, e quì m' arresta.

Dell' amarezza nella pace santa
Al figlio lor dolcissimo,
Di lagrimar non sazii,
I Genitori.

2.

Quod si talis eras, alium tu quaerito patrem.
Non tuus est hic, qui dicitur esse, Pater.
Talia namque tuo nobis pro carmine reddit,
Qualia nec Cyclops redderet hospitibus.

XXXIV.

1.

Ioh. Angelus a Porta, Cuneens.
Ord. Cupucin. Proprior Magn. Ord. Constant.
Abbas S. Antonii Abbatis,
Ferdinando I. ante, deinde Leopoldo Fil.
A confession.
Ep. Thermopil. V. an. 68. M. 8. ob. 1835.
7. Kal. Sept.

2.

Familiae Regiae
Ad tres aetates ob fid. singular.
Voluntatemq. perpetuam acceptiss.
Vel ipso corporis habitu ,
Ad totius humanitat. speciem conformatus,
Amicorum deliciae,
Pauperum , et adversa in primis cum fortuna
Conflictantium, omni officior. genere
Praesidium.

3.

Gravi, nec sine miraculo,
Vota inter gratulationesq. publicas,
Morbo nuper edomito,
Mors nil de consilii acerbitate remittens ,
Brevibus vix datis induciis ,
Corripuit.
Heu! spes mortalium vanas!

XXXV.

1.

Suprema Nicolai Zingarellii
Cuius memoria in beneditione est.
Nicolaus, Riccardi F. Zingarellius,
Neapolit. Eq. Ord. Franc. I

Sacros. olim Metropol. Eccl. Mediolan.
Deinde Domus almae Lauretanae,
Post Aedis Pontif. ad D. Petri a. modis. music.
Praepositus

2.

Neapolim redux,
Alumnis S. Petri ad Maiellam
Informand. regund. Praef. datus,
Praecipuos inter Europae totius
Praestantissimus,

3.

Caelestium usque memor,
Vnde prima artis suae origo,
Divinis ante omnia illam
Famulari, divinitus docuit.

4.

Humanis, divinisque reb. praeter artem,
Solide instructus, suavitate morum,
Animi magnitudine, et constantia,
Liberalitate in pauperes,
Exemplar plane admirabile.

5.

Difficili Ecclesiae tempore,
Pastore percusso,

Terrores inter, gemitusq. gregis,
Super flumina ipse Babylonis
Sedens, et flens,
Nec spe inlectus, nec periculo territus,
Suspensa salicibus organa,
In re non iusta, tangere sustinuit,
Denique
Mortales inter talis, tantusque moratus,
Pondere discusso corporis, astra petit.
Abiit. non.obiit.Sex.Non. Mai. 1837. V.an.85. D. 31.

XXXVI.

Hic Valperga Comes. Paucis par gloria gentis
Contigit. Hoc genus est. Disce viri ingenium.
Altrices illi Charites. Ea gratia vultus,
Dicendi tantus, sed sine fraude, lepos!
Nil in eo fictum: totus teres, atque rotundus,
Et sanctae cultor sanctus amicitiae.

XXXVII.

Te Gratiarum Diva potens,
Quae domum hanc, cholera grassante,
Incolumem, voto suscepto, servasti;
Morbo nunc recrudescente, ut idem praestes,
Antistita, Matres, Puellae
Conleg. SS. Bernardi, et Margaritae,
Voto renovato, obsecramus.

XXXVIII.

Bono iuventutis ecclesiast.
Quam ad vitae suae partem maximam
Prudenter rexit, fovit amantissime,
Ianuarius Carusius, Eccl. Arian. Can.
Philosophicis, Mathematic. disciplin.
Morum ad haec candore,
Sanctimonia vitae illustris,
Amoris perpetui pignus extremum

XXXIX.

1.

Diaeta,
Sera malorum pausa,
In qua lacrumas inter, amplexusq.
Patrum Coenobii huius,
Torquatus, Bernardi. fil. Tassus
Fato concessit. 7. Kal. Mai. 1595

2.

Eiudem εκτυπον.
Olim
De vultu adhuc calescente
Viri denati expressum,
Cristallo affabre conclusum

XL.

Annae Mariae Mazziottae,
Dotib. corpor. intra sexum femineum,
Animi ultra virilem.
Vix. ann. 20. ob. Kal. Apr. 1825.
Vir infeliciss. Vxori incomparab.
De qua nihil, praeter mortem,
Doluit

XLI.

L. Andreas, Crispini fil. Martinius,
Dom. Felino, Medicinam professus,
Opportuna corporib. artis praesidia,
Opportuniora moribus aegris,
Vitae praebuit exemplo.
Parcus loquendi,
Recte agendi sollicitus,
A munerib. publ. ab hominibus
Prudenter cavit.
Ob. an. 1826. prid. Non. Sextil.
Ann. natus. 78. M. 2. D. 9
Patriae, Viciniae lacrimis decoratus

XLII.

Iosepho, Vinc. Fil. Ravizzae,
Dom. Teat. I. V. D. Proc. Generali

Prov. Teat. a causis. civilib.
A. Secret. Prov. eiusdem.
Prudentiae, modestiaeq. singularis,
Poesis cultori assiduo.
Dec. 10. Kal. Iul. 1828. ann. 66.
Ianuarius Ravizza Fratri

Te flevi Fratrem Frater: te flevero. Fratris
Nec mortem doleo, discidium doleo.
Te sequar: haec fratrem spes nunc solatur amantem;
Et sequar accitus, ne mihi spes pereat.

XLIII.

1.

Pro funere Ferd. I.
In futurae anastasis
Expectationem.

2.

Per secunda, per et adversa,
Suprema. omnia,
Vtrique par fortunae.
Vix. an. 74. Regn. an. 65

3.

O spes hominum fallaces!
Viridi adhuc, integraq. senecta,
Raptus ex inopinato.
4. Non. Ian. an. 1825 Dep. prid. Id. eiusd.

4.

Manent sua funera Reges!
Discite mortales:
Mors imminet omnibus.
Si bene quis servit, bene regnat: nec bene Regi,
Hac, datur, excepta conditione, mori.

XLIV.

1.

Funus Ioh. Danerii.
Pius accedito mente pia.

2.

Funus
Ioh. Danerii, iussu Franc. I. Sic. Reg.
Adeste boni, vestra res agitur.
Occidit ille,
Nullis flebilior, quam vobis.

3.

Iohannes, Iohan. Bapt. fil. Danerius Gadit.
Militavit ultro
In Class. Philippi V. Reg. Hispaniarum,
Impigramq. ei in Orani expugnatione
Operam navavit.

Maritimo itinere Neapolin advectus
Cum Carolo III
Navali primum sub ipso militiae;
Deinde sub Ferd. I. demum sub Franc.
Fide singulari, sine intermissione, addictus.

4.

Quod Siciliam
Tutam praestitit adversus hostium incursus,
A Principe Valliae, tunc Angl. Regni Tutore,
Nunc Rege potentissimo,
Ense aureo donat. an. 1813. adlect.
Inter Eqq. S. Ianuari
Ornat. torquib. aur. SS. Ferd. et Georgii
Itemq. Caroli. III
Praef. Clas. utriusq. Sic.
Vix. an. 101. M. 3. D. 12. Ob. non. Ian. 1826
Elatus luctu publ. reg. impend.

5.

VIII. K. Oct. an. 1724.
Haec prima dies mortalem edidit.

6.

Non. Ian. 1825.
Haec prima dies immortalib. addidit

7.

Consentiae praefuit, Calabrosq. Vlter.
Terraemotib. labefactatos mirifice iuvit:
Messanam iterato gubernavit,
Annonaeq. penuria laboranti,
Supellectili argent. divendita,
Quam potuit, opem tulit.
Si nihil extaret tristi hoc iucundius aevo,
Aeternum hic nobis vivere debuerat!

8.

Qui cum ditescere honeste potuisset,
Sua in pauper. omnia erogavit.
Qui Heredi, praeter honor. hereditar.
Nil testamento reliquit,
Caelorum hereditatem hic iure adito.
Dormi, sancte senex! non te mors obruit: illa
Dulce fatiscentem te mage consequitur.
Nec quod plenus abis annorum, desinet usquam
Hic desiderium perpetuum esse tui.

9.

Quattuor en Reges firmo tibi pectore semper,
Immotaque fide, sat coluisse siet.
Iam tres nil umquam de te doluere, Daneri,
Quos equidem doluit, te cecidisse sibi.

Nec de te quartus doluit quid, praeter id unum,
Quod fato functus concidis ipse tuo.
Quotquot adestis,
Locum refrigerii, lucis, et pacis
Adprecaminor

10.

Sub viri effigie.

Vix. ann. 101. M. 3. d. 12
Annos quid numeras? animum magis aspice. Dices,
Hic sibi sat: nobis vixit at ipse parum.

XLV.

1.

Funus Fabritii Ruffi,
S. Roman. Eccl. Diac. Cardin.
Vincentius Ruffus, Princ. S. Anthimi,
Patrui magni meritorum
In se non sine lacrim. memor.

2.

Fabricius Licter. Duc. Baranelli F. Ruffus,
Matre Iustiniana Columna e Duc. Spinosi,
Romae nutritus,
A Pio VI. P. M. praepos. thes. publico,
Praef. Aquar. Praef. Palud. Pomptin.
Clanisque.

*

Praepos. Curatorib. annonae,
Prior Magnus Eqq. Hierosolomyt.
Prior Eqq. Constantinianor.
Diac. Card. tit. S. Mariae in Via Lata,
Familiae D. Franc. de Paula
Protector adsignatus.

3.

A. Ferd. I. cui per vitae
Fortunaeq. vices omnes
Haerentissimus,
Casertae Praepos. a cura
Regalium deliciar, et Artium.

4.

Nec minus
Et belli studio, fatis urgentibus, actus,
Abs Reg. absente Regn. praep. cum vicar. potest.
Anno. 1799
Viribus modicis,
Virtute summa prudentiaq.,
Citra spem,
Non ultra tacita bonor. vota,
Regnum Regi suo
Vindicavit

5.

Ministerio cum plenar. potest.

Pro Rege suo Romae functus
Apud Pontif. Max.
Post
Neapolim reversus an. 1804
Fortunamq. Regis secutus,
Bonor. publicatione multatus est.

6.

Inter haec
Legatus a Pio VII. pro negot. Eccl.
Parisios proficiscitur.
Pace orbi Ecclesiaeq. restituta,
Neapolim a Rege amantissimo
Accersitur an. 1821
Adlect. Min. a consil. sanctiorib.
In pace quievit an. 1827. Id. Dec.
Vix. an. 83. M. 2. D. 27
Quoi sic ornari, sic vivere contigit, olli
Sat bene, longaevum sic potuisse mori!

XLVI.

Francisco, Bened fil. Granatae,
Iuris peritissimo,
Viro integerrimo,
Egenor. patrono gratuito.
V. an. 40. M. 7. D. 13

Dec. pr. kal. Ian. an. 1828
Coniugi desideratiss. Rosa Pessolania,
Germano suaviss Aloysius,
Nepoti benem. Iohannes patruus.

XLVII.

In funere
Mariae Christinae
Sicil reginae.
Ave,
De caelo demissa, ad caelum
Mox revocanda,
Cui hoc unum non placuit in terris:
Quod ad opem, pro voluntate,
Ferendam singulis,
Nec opes regiae tuae satis.
Vlterius quidquam ne tu quaesiveris, hospes:
Cordibus heu! nostris caetera sculpta manent.
Aeterni hic illi sancte servantur honores,
Quos amor inscripsit, quos sacrat ecce dolor.

XLVIII.

1.

Gaudia inter urbis maxima
Regnique totius gratulationes,
Nullum infligi vulnus

Nec acerbius, nec gravius potuit
Regis animo, Domui Regiae, Regnique
Ordinib. universis.
Maria Christina,
Dom. inclit. Reg. Sardin. et Sabaud. Filia,
Regina nostra,
Omnium quotquot fuere, sanctissima,
Desideratiss.
Communes utilitates, iuxta calamitatesq.
Suas ex animo reputans,
Tota in egenis clam palam alend. fovend.
Aula muliebri brevi temporis intervallo
Ad sanctitudinis normam composita,
Virginalis verecundiae mulier,
Ferdin. Reg. nostri deliciae unae innocentiss.
Cum aetatis ann. ageret
XXIII ultra Mens. II
Virilem enixa prolem beatiss.
XVII. Kal. Febr. ann. Sal. MDCCCXXXVI
Die a puerperio XV
Contra omnium vota,
E vivis sublata.

2.

Quae ad caelestia festinans,
Mox e terrenis expedienda,
Regem Virum desolatiss.
Constans ipsa animi, blande orat, hortatur,
Prolem commun. unic. innocentiss.
Vti diligat, curet,
Patris una, Matrisq fungens officio;
Nil ut de pauper. remittat tutela,
Omnibus ut bene faciat.

3.

Amplius hoc.
Vti corpusculum suum
Semel pro decenti contectum,
Ne detegi post obitum,
Ne tangi, ne minui,
Regio more, sinat,
Quale quale illud sit,
In futurae spem Resurrectionis
Adservandum

4.

Sunt lacrumae rerum, tibi quae, Regina, sacrantur,
Intimus ex animo quas ciet ecce dolor.
Abstrahit a Regnis, quos mors rapit improba, Reges:
Tu nostris moriens cordibus abstraheris.

Quod si, quae Parcae minuerunt, stamina vitae,
Haec proli duplicent, haec duplicentque viro:
Spes haec una queat tantum lenire dolorem,
Quod potis es votis ipsa iuvare tuis.

5.

Reginae ad natum, et virum.

Non tibi, non licuit, Puer, adridere Parenti,
Vbera nec licuit tangere nostra manu!
Addito maternas curis, Fernande, paternis:
Aeternum hoc nostri pignus amoris erit!

6.

Ad Regem.

Tecum gavisi, tecum, Rex, flevimus una:
Vnus fatorum constat utrisque tenor.
Vna igitur cunctos, Rex optime, perdes,
Nî finem lacrimis, sive modum dederis.

XLIX.

Ioh. Casazza
Ob. an. 1841. vix. an. 50

Ingenii fervens, leges, et iura professus,
Pugnavi, vici, iure, labore, fide.
Cur fucata virum uxori, natisque parentem,
Cur immaturum, mors inopina rapis?

FRIDERICO MVNTERIO, ARCHIEP. DANOR.

R. GVARINIUS S. D.

Dudum, V. C. perlatum mihi fuit, te lucubrationum mearum, quae utinam doctorum patientia dignae sint! desiderio distineri. Tui fama permotus, statui, sine cunctatione, votis tuis satis faciendum, quod et effeci. Nam quidquid rerum mearum fuerat typis vulgatum, una consarcinatum, homini tradidi, cui tu negotium hoc commendaveras. Consenuit tamen in Laribus eiusdem sarcinula ad menses plures, quin eam ad te deferri, sit curatum. Quo factum est, ut ad domesticos parietes remearit, tempus, occasionemque idoneam praestolatura. Cum ecce Capycilatrius, Archiep. Tarentinus, quocum mihi vetus amicitiae vinculum, de hoc desiderio tuo, quo nescio casu, narravit. Rem exposui, ut erat; quo audito, negotium ille omne in se suscepit oneris ad te quam cito, et sine periculo, transvehendi. Haec facti historiola; pauca nunc de me.

Taceo de laudibus tuis, ne veniam deprecaturus, pro laudibus laudes mercari velle videar.

De me sic habeto. Agnosces de sutore Medicum. Alia namque vitae, institutionisque meae ratio fuerat, quam ut in his periclitarer, ad quae paucis abhinc annis, nulloque duce, sum pertractus. Nec tantum, duce nullo, sed inter adversa omnia, atque infesta, quod Saturnii caeli vitium antiquum. Quorsum haec? nam multa incurres sine dubio, quae digna tibi videbuntur, ut in spongiam incumbant. Quamquam et in his moneo, iudicium suspendendum, donec a calce ad carcerem percurrantur omnia. Non pauca enim ex insperato in melius recusa recurrent. Sed et in his, uti et in caeteris, monitorem te, praeceptoremque expecto, quo nemo opportunior. Vale.

AVCTORI

J. VICTOR LE CLERC.

V. C.

Magna quidem insperanti mihi contigit felicitas, quum nuper ab uno ex regii Palatii Ministris allata est Neapolitana illa doctissimorum collectio. Scilicet! exclamavi: neque longinquitas

regionum, neque sermonum differentia, neque mei ipsius in rep. literaria ignorati civis tenuitas, impedimento fuit, quo minus ad me viri illustrissimi, Raym. Guarinii, a tot clarioribus viris nequicquam exoptata, scripta pervenirent.

Quae res mihi non simpliciter, ut fatear, placuit. Namque et me Dissertationum, Orationum, Carminum foecundissimo proventu statim augeri, non parvus fortunae visus est favor; et simul iucundissima memoriae offusa est desideratissimi temporis imago, quo Pompeianas ipse, et Herculanenses reliquias, et Campaniam Felicem, et Panhormitanas delicias, et Syracusarum deserta, et totius vestrae Italiae venerandam antiquitatem obscurus viator avide, sed properantius exploraveram. Oh! utinam tunc mihi, per nescio quam divini fati benevolentiam, praesentem te, V. doctissime, audire, et affari licuisset! Sed nondum abiit spes iterum Sebeti ripas, Musei vere unici χειμηλια, Parthenopes eruditos alumnos invisendi. Cuius si voti compos fierem, profecto admiratione non minus, quam grati animi impetu instinctus, celeberrimum Guar. salutare, et veluti magistrum, consulere, inter maximos itineris fructus arbitrarer.

Quam, vir docte, simul longos miscere iuvaret
Sermones, quid nunc doceat rediviva vetustas,
Quid Pompeiani retegant inscripta sepulcri
Marmora, ut effosso iactet vicina theatro
Se Capua, eversi dederint quae rudera Paesti.
Secula quot mediis spirans exaestuat undis
Strongylos, Aetnaeis etiam nunc aemula flammis.
Cur vastata licet, doctos mereatur amores
Et Catina, et praeceps Acragas, Arethusaque Nympha,
Totaque funestis vel clarior Insula fatis.
Sic, sic Italiae memorando insignia, tecum
Italiae Soles aestivos condere vellem,
Interea placido dum murmure luderet aequor,
Et Luculleas paullatim allamberet oras.

J. VICTORI LE CLERC

AVCTOR S. P. D.

Effecisti literis tuis ad me humaniter missis, vir elegantissime, ut Lebosium vestrum Mazochio nostro laudatorem non amplius invideam. Tantis enim me laudibus ornas, sive oneras magis, ut vel tantilla illarum parte contentus esse possim, si hac me dignum arbitrarer. Caeterum,

ut fatear ingenue, quod res est, acceptissimae hae mihi fuere. Eccui enim non acceptum, laudari a viro laudatissimo? Quin et suavissimae, et festivitatis plenae visae sunt amicorum meorum non paucis, quibuscum eas communicavi, iisque minime de faece literaria. Quod profecto minime mirandum in Tullii nostri non Curatore tantum accuratissimo, sed Promocondo familiari penitus, splendidissimoque, qualem te iure tuo profiteris.

Ad mea quod attinet, sunt in loculis nova quaedam, quibus te propediem, cum in lucem prodierint, remunerabor, eaque tibi grata adventura, iam nunc animo auguror, ac fere praesumo. Nam Mabillonio vestro Commentariolo quodam faciam adversus Mazochium nostrum: utrum vero litatarus sim, *εν τοις των θεων γουνασι κειται.* Hoc itaque expectes, praemoneo. Quod

Si te de facie, ut scribis, mihi noscere detur,
Et dextram dextrae iungere, fata sinant;
Nec mihi laetitiae, mihi nec modus ullus honoris,
Si te, mi Victor, sim fruiturus, erit.

Vt me ames, oro, et exoraturum, facile confido.

Vale.

IV. Non. Febr. 1833.

PRODROMUS

AD COMITIA PROVINCIALIA

ORD. FRAEDICAT. S. MARCI CAVOTORUM

In Conventu Divae Annae Montis Militum
Pro anno 1799.

ORAT I.

Quandoquidem, Patres Selecti, singulari huc tandem, planeque insperato Dei beneficio, aliquando convenistis Comitia habituri Provincialia, mihique datum negotium in summa animi mei aegritudine, viriumque deiectione iisdem sermone prodromo qualicumque de more praeludere; haud ego vos eo in officio persolvendo distinebo fucata oratione, longeque accersitis exordiis. In tam negotioso etenim, omniumque gravissimo vestro consessu, in tantis non privatis modo Provinciae nostrae, sed et totius, quâ quâ longissime patet, terrarum Orbis iacturis, et calamitatibus quidvis potius, quam

. . . *Ista sibi poscit spectacula tempus.*

Et pro publicis quidem, quamquam eae ad nos plurimum, tamen quando aliud per nos non licet, studiis incensissimis unâ assidui Dominum pacis deprecemur. Verum ad privatas quod attinet Provinciae nostrae, ex quibus publicae pendent nonnihil, et pendebunt porro, iure, ut aiunt, colliminii, est praeterea, quod ipsi per vos, collatis operis, Patres selecti, hisce ipsis Comitiis Provincialibus afferre in Domino, et potestis, et debetis. Parumper modo favete animis, quamdiu id ego, assentatione omni sepositâ, paucis expedire, aut verius, adumbrare conabor.

De Provinciae nostrae Successore dando serio vobis, ut par est, cogitantibus, non dubito, quin eo in praeconcipiendo, ac veluti intra vosmet informando, non semel occursarit animo *Pastoris boni* imago, cuius ad amussim expressum illum omnino velitis. Bene id quidem in primis, idemque auspicatissimum! Ab hoc siquidem uno accisis, et ad perniciem paene profligatis Provinciae rebus, salus est expectanda. Et quando aeternus animarum Episcopus *Pastoris boni* nomen in aures animi insusurravit, confi-

dendum plane, uti eodemmet praeeunte viam, et quae Pastoris boni partes sint, minime ignoretur, et quo in eum itinere rectâ sit contendendum, apprime teneatur; quorum alterum, ut videtis, Pastoris proprium, alterum vestrum est totum quantum est. Quamquam autem nihil eorum, quae ad utrumque attinent, latere vos queat qui et honorum dignitate, et doctrinae laude, et totius vitae usu *forma gregis facti* estis ex animo; cum interim ex multis non pauca utrimque sint, quae et ipsa per se, et temporum praecipue habita ratione, nunquam satis urgeri posse videntur, his mihi unis in toto Orationis huius qualiscumque tenore insistendum proposui.

Ergo ut a primo illo exordiar, cum duplex Pastoris officium sit, et concreditas sibi oves alere, et singulas, ad minimam quamque, Domino suo in accepti ineunda ratione incolumes servare, in priori illo non multus ero. Non quod ipsum in se gravissimum non sit, sed quod non multum facessere negotii videtur, patentibus ubique doctrinae divinitus traditae pabulis, ac fontibus saluberrimis, a quibus nec volentes recedere Pastores queant, si modo super Cathedram

Moysi sedeant, idest in verâ Christi Ecclesiâ sint. Quandoquidem in Cathedra non sua, ut nostis, quae sua sunt, Pharisaei licet, et Scribae, loqui omnino non possunt. In alterâ ergo officii sui parte praestandâ labor omnis situs videtur, in quam non una satis est *philosopha*, ut quidam ait, sententia, sed et praeter exemplum sui undequaque illibatissimum, sua etiam collocanda est opera, eaque non ignava, immo omnium improbissima, et nunquam porro quacumque ex causa intermittenda. Verum et in quonam sua haec illius impendenda praecipue opera sit, ne in ovium subducendis rationibus frustra adlaborasse deprehendatur, non pigeat investigare. Qua in re dicam, Patres, quod sentio, et liberrime dicam.

In grege Christi, ut nostra nunc potissimum tempora ferunt, cavendum maxime Pastori ab *HIRCIS* est, qui sub arietinis pellibus, iisdem pascuis, in iisdem fontibus, ut Augustinus loquitur, oves inter, agnosque lasciviendo, atque universa turbando vagantur. Nam quoad ovium interest, quantum in ipsis est, non difficilis admodum videtur ratio. Etsi enim ex his et *infir-*

mae esse possint, et *aegrotantes*, et vero *errantes* etiam, idest, aut sanae illae quidem, sed non satis instantia adversum pericula munitae, aut vitiorum quoque tabe languentes, quin et a Fidei norma aversae: quod tamen norunt adhuc Pastorem suum, vocemque eius audiunt, levari eiusdem humeris queunt, ipsoque adnitente, ad sanitatem, viamque pristinam revocari. Ab *hircis* ergo timendum quam maxime est, qui tales cum sint, sperandum nullatenus est, ut in bonos arietes evadant, et ferendi omnino in grege Christi sunt ad diem usque novissimam, tum demum seorsum ab ovibus, et agnis laevam in partem seiungendi. Assuetis namque pascua, fontesque puros pedibus proculcare, quid reliquum est esurientibus unâ, ac sitientibus ovibus, quam ut conculcatas herbas attondeant, conturbatasque aquas ebibant? Per vepreta iterum palari solitis, per et montium abrupta reptare, et avia locorum, seorsum ab Pastore, reliquoque grege, lustrare, quid pronius, quam ut ovium, quas non paucas, nec raro secum abstrahunt, et lana spinis discerpatur, et corpora aut in praeceps agantur, aut in lupos incurrant miserrime dilaniandae? Sed

quid mutuatae ab Ezechiele Propheta allegoriae delitescere ultra sinimus germana significantiam?

Sunt *Hirci* eiusmodi, arietum sub pellibus latitantes, quidam adolescentium nostrorum educatores pessimo publico agentes, quorum quousque licentia processit, ipsi per vos melius intelligitis, quam ut complecti ego oratione queam. Nam praeter quam quod iisdem exemplo suo auctores perpetui fiunt, quo extra officiorum septa impune vagentur; ecquis crediderit, nisi experientia tandem vel nolentes revicisset, sinceros doctrinae fontes novorum dogmatum pestibus imbutos identidem propinasse incautis? Hinc patriarum legum observantia nudati primum tantum lana agni nostri, seculi huius cupiditatum spinis, aculeisque mirum in modum intra sese excruciari: mox, ubi data potestas, Ducum suorum fines praetergredientes in omne sese vitiorum genus liberrime effundere, maximo non sine Ordinis dedecore, ac detrimento, summoque familiarum suarum moerore, opprobrioque, quae alienae in suos olim parvulos proditionis poenas luere coguntur. Ignoscite, Patres, si quando recens impressi vulneris, nullaque temporis medi-

cina obducendi recordatio, in hunc locum vel incogitantem pertraxit. Nam quod adolescentium nostrorum quosdam amissos insolabiliter lamentamur, alios querimur, qualem, bone Deus! quamtamque olim spem gregis! quasi sine spe errantes; ecquibuscum denique expostulabimus, quam cum id genus hircis, quos in agnorum nostrorum caulam semel invectos, cum interim ab eis toto caelo, terraque fuissent disterminandi, per fas, per et nefas cura fuit tueri?

Quaenam porro exhinc in gregem universum consectaria? talia nimirum, quibus ne cogitando quidem concipi foediora queant. Placet ea eiusdem Ezechielis semel in scenam producti verbis complecti. Et *dispersae sunt oves meae* (sic ille) *eo*, *quod non sit Pastor*. Utique non est pastor, quando hircis post se oves ad perniciem agentibus pastorali virga *usque ad sanguinem*, ut Apostoli verbis utar, et non tantum citra privatae tranquillitatis praeiudicium, fortissime non resistitur. Sequitur: *et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri*. Oh! rem luctuosissimam, nullisque unquam lacrimis satis pro merito expiandam! Oves ergo dispersae factae sunt

in devorationem, non unius, aut alterius, sed omnium bestiarum agri. Bestias agri puto vos heic animi humani pravas intelligere cupiditates, quorum ob oculos versatur illud Iacobi de filio suo Gen. 37. *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph.* Si semel ergo hircis relinquantur agni, hoc est, Adolescentes nostri pravorum Institutorum permittantur arbitrio, continuo nullum nequitiae genus erit, quod non in eos longe, lateque grassabitur. Atque utinam, quae hucusque, Scripturarum stilo, propria allegoricis intermiscendo, sumus prosecuti, ea minus apte, belleque in Provinciae nostrae alumnos plerosque fere omnes quadrarent! Ecquid enim nefariarum seculi huius cupiditatum est, ecquid morum efferatiorum, quod per has temporum vicissitudines nostra in Claustra, non clam, et per cuniculos irrepsit, sed propalam, facto agmine, non irrupit? Absunt-ne inde iurgia, contentiones, invidiae, fraudes, colloquia prava, turpis lucri studium, ambitus, luxus, quaeque luxum sequuntur, caetera, quae consultius multo silentio premam, quam incauta oratione promam? Rursus ignoscite, Patres, si ad haec iterum deflexit

Oratio aliquanto fortasse liberior. Eo enim processit vulnerum nostrorum pus, atque venenum, ut iam caritatis veluti dibapha tegi amplius non possint, sed omnino in apricum posita, igne, ferroque sint tractanda, si quid super extremis in morbis spei sit in medicinae ope. Quae olim domus nostrae inter mundi huius fluctus periclitantibus stationis fidissimae loco erant, iam nunc et stantium periculum, et tantum non certissimum evasere naufragium. Nec alium in finem raptos ex matrum uberibus ingenuos pueros recipere sua intra septa videntur, quam ut serius ocyus genus omne belluis dilacerandos securius tradant. Vae tamen hircis, ovium iuxta, atque agnorum exitio, quos inter, atque arietes paullo fortasse in speciem serius, quam pro bonorum desiderio, sed tandem aliquando iudicabit Dominus! Vae et multo magis Pastoribus Israel, si quos tam nefariae in oves suas proditionis reos agi contigerit apud summum animarum Episcopum, et Pastorem! Gregem suum videlicet requiret ille de manibus eorum, qui *lacte* tantum, *lanaque* contenti, idest, quaestus dumtaxat, honorisque ambitum sectantes, ut laudatus saepe

Hipponensis Antistes, se ipsos, non gregem paverunt!

Expergiscatur itaque futurus Provinciae Rector, serioque in animum inducat, cum pueris in universum maxima, vel Ethnici poetae iudicio, debeatur reverentia, tum nostrorum in primis sedulam, sanctissimam, nunquam intermissam habendam fore rationem, si Provinciae nostrae novam veluti formam, equidem pernecessariam, frustra tamen ad id usque temporis exoptatam, inducere sit animus. Agat pro viribus, viresque ei sufficiet Dominus, et quando Pastoralis virgae tam laeta adfulget spes, uti in pristinum ius plenissime vindicetur, compescat, arceat, disterminet ab ovibus iuxta, ac agnis hircos, haedosque, hircorum damnatas propagines. Habeatur arietum delectus, ut non quicumque iuventuti nostrae praeficiantur, sed qui prae caeteris praeire eidem valeant ad literarum, solidaeque pietatis normam instituendae. Oves etiam ipsas, non dicam, infirmas, non aegrotantes, eoque minus errantes, sed vel integras, robustasque caveatur ad ipsam promiscue admittere, unis his exceptis, iisque selectissimis, quas eidem alendae

addere maturrimo sit consilio definitum. Eâque in re infixum penitus animo sit, tantam esse Constitutionum nostrarum sollicitudinem, tantam prudentiam, dicam etiam, religionem tantam, ut quos Episcopali alias in familiam suam universam gaudere iurisdictione Priores magnifice praedicant, his neque aditum pro lubitu ad eam patere sinant, sed raro admodum, et magnis de caussis, nec nisi gravissimorum Patrum veluti praesidio stipatis. Illud demum meminerimus, Ordinem nostrum Pontificiis diplomatibus *veritatis Ordinem fuisse* nuncupatum, talemque se ad plura secula Orbi Christiano probasse, non *temporis*, cui nunc universa adcomodanda praecipiuntur, ad legum usque sanctissimarum violationem. Quae omnium miserrima, nostroque prorsus nomine indigna distinctio utinam non balbutientium etiam nostrorum esset ore protrita, multoque magis moribus confirmata! Atque haec, Patres ornatissimi, temporum nobis qua qua versum introspicientibus indolem praecipua visa sunt, in quae Provinciae Prior auctoritatis suae vires omnes, nervosque intendat. Det illi Dominus, ut his praestandis, caeteris minime negle-

ctis, officii sui partibus, talem se praebeat, ut ad boni Pastoris exemplum non dubitet et animam suam ponere pro ovibus suis.

Alterum superest, idemque ultimum Orationi nostrae propositum, quod vestri iuris totum est, Patres selecti, ut initio monueram: qua nempe via in Pastorem eiusmodi, nomine suo revera dignum, sit contendendum. Brevis admodum ea est, expedita est, certissima est, quandoquidem digito illam commonstrare ipse Christus Dominus minime gravatur: *Intret per ostium, et non per fenestram*, quod proprium furis est, et latronis. Iam vero quale ostium eiusmodi? aut ubinam quaerendum isthuc est? *Ego sum Ostium*, ipse de semet inclamat Christus Dominus. Quaeratur ergo in Pastoris selectu Christus Dominus: invenietis sine dubio Pastorem. Quemadmodum autem Pastorem decet in alendo grege, quae Iesu Christi, non quae sua sunt, sectari, ita et in Pastore designando, Ovium, non privatae designantium quaerendae utilitates sunt. Facessant igitur procul partium studia: facessant privatae rationes, ubi negotium Christi, non hominum, agitur; et prodibit mox, non sine interiori Deo,

tamquam sponsus procedens de thalamo suo, Provinciae Rector, cuius speciem ad *Pastoris boni* exemplar ex parte deformare utcumque, Domino opitulante, curavimus. Amen. Amen. Amen.

DE LINGVAE LATINAE VTILITATE

Pro anno 1818.

ORAT. I.

Latini idiomatis peritia ad caeteras disciplinas omnes et rite adeundas, et recte addiscendas quanti praesidii sit, vanus profecto sim, si apud viros tantos pluribus ostendendum aggrediar. Nam ut doctorum virorum ea de re perpetuam consensionem omittam; ut nihil dicam de penitioribus cuiuscumque generis ad id evincendum rationibus: quid ad quotidianam, quid ad omnium retro ante seculorum experientiam reponi vel a pervicacissimo poterit, quâ docemur, disciplinarum, artiumque universarum astrum, ut ita dicam, mirifico usque modo cum linguae latinae studio consensisse? ut nimirum, hoc seu inten-

to, seu remisso, illas item intentas, remissasve gradibus paribus sit conspicere? Plenae sunt veritatis huius virorum sapientium mentes; plenae veterum monumenta, plena in primis *renatarum*, quae dicitur, *literarum* historia, abs divino usque Aligherio, indeque per suavissimum Italicorum principem Lyricorum Petrarcham, elegantiarumque omnium patrem, Iohannem Boccaccium ducta.

Quae cum ita sint, quid de hesternis hominibus quibusdam dicemus, quibus persuasum erat, de adolescentium manibus excutiendos omnino libros illos omnes totius sapientiae, eruditionisque refertos, qui *Classici* dici vulgo consuevere, suntque tales re ipsa κατ' ἐξοχὴν? Eos, qui ita censent, sint quivis licet, et quantaevis auctoritatis, male omnino de re universâ literaria publica meritos, iam dudum uno ore pronuntiatum, rectissimeque pronuntiatum est.

Quo maiores per nos iis habendae sunt gratiae, quibus florentissimi huius nostri Lycei *Medico-chirurgici* cura demandata est; quibus in hac novitiarum opinionum grassante lue nihil antiquius, sanctiusque fuit, quam ut romani ser-

monis, patrum scilicet nostrorum, orbisque olim universi dominatorum, locum, dignitatemque tueretur, lege lata, ut ne cui ad medicam lauream pateat accessus, qui non ante se latinae linguae usu, ac familiaritate probarit. Quo profecto nihil rectius, ad poeticae etiam historiae fidem, quo gravissimas plerumque contineri veritates, praeceptaque saluberrima, ecquem latet? In fabulis igitur, qui ingenuarum artium, lyraeque auctor, Apollo, idem medicae artis Deus perhibetur; ad insinuandum, credo, medicinae professore, docto iuxta, atque elegante viro, nihil contingere optatius posse.

Scio, quid ad haec nonnemo vestrum, Sodales, erit fortasse repositurus: nempe ad haec non sine nostrum cuiusque famae periculo, improboque labore deveniendum, si tandem devenire contingat! Sed apage ab ingenua, honestaque iuventute ignaviae voces, ac dehonestamenta! Et quando nec ad vitia, nisi per magnos labores iter est; ad vitia, inquam, quorum ignominiosa est via, viaeque finis interitus certus: quanto pro virtute contendendum magis, cuius et semitae honestissimae sunt, et fructus uberrimi, omnique fine carituri?

Unum interea, Judices, monitos vos, oratosque volo, finemque dicendi faciam. Periculo, quod nunc primum sumus subituri, impares quidem nos et sentimus, et non sine ingenuo pudore, fatemur. Sed quisquis demum futurus exitus illius sit, aequum est in primis, vos nunc prospicere, non quales ipsi vobis pro praesenti iussi sistimur, sed quales paucos hinc ante menses eramus, cum primum in hanc palaestram adducti sumus: qua in re Praeceptoris nostri ante omnes fidem integerrimam, non fidenter tantum, sed audacter etiam, si id necesse sit, invocamus.

DE LINGVAE LATINAE VTILITATE

Pro anno 1819.

ORAT. II.

Superiore anno, studiorum nostrorum rationem reddituris, de linguae latinae in universum utilitate, ac necessitate praeloqui visum fuit. Quid nunc potissimum hoc eodem in loco, eodemque

in periculo constituti praefabimur, Iudices sapientissimi? Ne pluribus vos frustra distineamus, propositum nobis est hodiernâ die, methodum exponere, quam insistimus, ut in linguae huius usum, familiaritatemque quam maturius pro nostro captu, institutoque veniamus. Proposita res non curiositate, sed utilitate se commendat. Habebit ad haec adiunctam brevitatem, quanta non sit perspicuitati praeiudicatura. Linguis igitur, animisque favete.

De auctore in primis agendum fuit, qui facem nobis in itinere sane non unius diei, et satis aspero ac senticoso, praeferret: qua in re diu haerere, ac dubitare, res ipsa minime sinebat. Quibus enim artis medicae praecepta unice sunt nunc constituta, ecquis alius a Celso dandus prae manibus auctor fuerat? in quo quidem nomine vim tantam, auctoritatemque inesse putamus, ut eo audito, omnis consilii nostri ratio aequis rerum aestimatoribus illico sit probanda. Nam ut opes illas pretii quantivis omittamus, quas ad rem medicam abunde ille praestat, quamobrem Hipocratis latini nomen omnium seculorum consensione iure sortitus est:

quis eo in docendo aptior? quis in verborum proprietate, ac selectu accuratior? quis brevitatis iuxta, ac summae claritatis studiosior? in uno Celso et Taciti breviloquentiam sine ambage, aut hiatu; et Tullii castitatem sine ingenii, verborumque luxuria; et Crispi robur sine ullo pulvere archaico, et admiramur, et exosculamur: eoque uno demum proposito, et ad medicas rationes satis, et ad latinae linguae notitiam, quantum nostra nunc interest, plusquam satis consultum nobis videri potest.

Sed Celsi dapes, si datur verbo venia, qua ratione curatum sit nobis apponi, operae pretium non leve existimamus, vel leviter delibare. Praeceptori nostro amantissimo iam dudum persuasum firmissime est, linguarum studium, graecae in primis, latinaeque, longe alia via ineundum, tractandumque esse, ac iniri, tractarique caeterae disciplinae ad unam omnes solent. In Mathematicis enim, ut hoc unum ad omnium instar sit exemplum, qui in uno, alterove Euclidis libro insudavit, non idcirco, quae eiusdem sunt facultatis, reliqua omnia perspecta, ac veluti in numerato habebit. Verum ubi de

linguis agitur, qui unam, alteramve pagellam animo penitus, nec specie tenus, comprehenderit, nec in eo dumtaxat, quod sententiam summatim respicit, sed in eo multo magis, quod ad vim, originem, nexum, aliasque verborum adfectiones pertinet, cum seorsum, tum coniunctim inter sese, acceptorum: iam hic nunc integris idiomatis eiusdem voluminibus aggrediendis, quicunque tandem ii sint, par censeri debet. Quorsum haec, dicet fortasse aliquis? nimirum ut Praeceptoris nostri consilium, unaque consilii ratio pateat, qui paucas admodum Celsi lineas pro quaque die admetiri nobis consuevit; illas tamen non εν παροδω, idest *obiter* percurrendas, sed quoad licet introspiciendas penitissime, exigendasque ad severioris seu της ανατσμης, e nostra penu mutuato vocabulo, seu της αναλυσεος, quam dicere mavelimus, normam, rigoremque.

Ne tamen, quod fere usuvenire solet, dum in demortua patrum nostrorum lingua addiscenda laboramus, nativum, florentemque nostrum vix balbutire sermonem videamur; cautum prudentissime est, ut quae more suo quotidie Praeceptor de Celso post nostrum cuiusque pe-

riculum italice reddita pronuntiat, eadem ipsi nos verbum verbo, suis cum interpunctionibus, eorumque omnium observatione, quae vulgo της ορθογραφιας nomine veniunt, fideliter excipiamus. Quod exercitationis genus quantum ad linguae utriusque saporem nativum percipiendum, usumque firmandum emolumenti affert, ipsi per vos, Iudices, melius profecto intelligitis, quam complecti nos oratione valeamus.

Atqui haec quidem omnia, nemine, uti arbitramur, diffitente, opportuna, utilia, egregia dicenda sunt, et quidquid demum in sententiam eamdem dici aptius potest, si quid dici aptius potest. Verum enimvero, si quid experientiae rerum magistrae deferre oportet, deferri autem plurimum et solet, et debet, nunquam profecto haec universa talia censenda, in quibus linguarum addiscendarum cardo praecipuus versetur. *Nullam artem literis sine interprete, et sine aliqua exercitatione percipi posse*, Tullius, auctor sane idoneus, gravissimusque, iam dudum pronuntiavit (1). Quid igitur? Stilus ante om-

(1) *Lib. VII. Ep. Famil. ad Treb.*

nia assiduo scribendi usu exercendus ad illorum exemplar, quos tibi imitandos proposueris. Da hominem ingenio quamvis praepollentem; da veterum lectione nocturna, diurnaque manu non modo subactum, sed attritum, detritumque. Hunc, si ab stilo exercendo abhorruerit, non minus trepidare, haerere, pallescere, incertum animi, consiliique inopem agi videbis, ubi aliquid de proprio iecinore extundendum occurrerit; quam navarchum illum, qui maria universa, et promontoria, et syrtes, scopulosque in Tabulis affabre descripta, cogitatione, animoque pulcherrime norit: qui tamen si aequoris irati nunc primum fluctus, minasque clavum gubernaturus videat, et pallet, et exhorrescit.

Quibus antehabitis, audite nunc, qualis ad stilum exercendum proposita nobis methodus est. Praeter quotidianam, continentemque Celsi verbo verbum, quantum fieri potest, interpretationem, propositum est, quaedam ex ipso, rerum medicarum veluti excerpta, vernaculo nobis sermone exornare, quae indidem facili, adeoque iucundo labore, modicâ verborum detorsione, sententiarumque immutatione in roma-

num versa sermonem, Celsum ipsum, quantum assequi possumus, non re tantum, ac succo, sed etiam orationis facie referant. Recte-ne, an secus obiectum nobis sit stadium hoc decurrendum, vestrum est, et ad trutinam expendere, et iudicare. Nostra quod refert, illud periclitando iam dudum exploratum est, tanto nostrum unumquemque in Praeceptoris caritate, benevolentiaque proficere, quanto quisque in officio hoc sollertiorem se, intentioremque praestiterit.

Nihil iam superesse nunc videtur, quam ut humanitatem vestram rogemus, ne iudices potius, quam duces, adiutoresque nobis periclitantibus vos praebeatis. Equidem multa nobis desunt, ut digni, non expectatione dicam vestrâ, sed ne patientia ipsa quidem, videamur. Sed si qua fides miseris, illud profiteri ingenue possumus, nihil per nos praetermissum, quo malo huic occurreremus. Ponite vobis ante oculos, quot, queisque pensis diurnis in hac Apollinis arce degravamur: sed multo magis benignitatem ipsi vestram considerate, qua nos, nostrumque hoc (nostrum dicam, an potius humanitatis universae laborantis Lyceum?) complexi

semper estis; nec dubitabimus, in hoc timoris, periculique pleno negotio cum parentibus optimis potius, quam cum Iudicibus formidolosis, esse nobis hodie agendum.

De Humanarum Artium studio, atque utilitate Pro an. 1794.

ORAT. III.

Quae res hominem quemcumque in dicendo impedire, deterrere, exanimare et solent, et possunt; sive audientium dignitas, et selectus, sive rerum dicendarum gravitas, atque amplitudo, sive sua ipsius dicentis tenuitas, et temporis angustiae: hae contra me omnes hoc tempore faciunt, Reverendissime Praesul, ornatissimique Auditores. Nam sive audientium maiestas nonnihil timoris animo ingerere soleat, ecquis non videt, me te coram esse hodie dicturum, Reverendissime Domine, cuius ut adventus plane inopinatus omnium Ordinum animos, praecipue vero amplissimum Praesulem nostrum tui desiderio, absentiaque iam diu sollicitum, summâ affecit

voluptate, ita auctoritatis maiestas, doctrinaeque haud vulgaris fama maximum mihi nihil tale cogitanti attulit pudoris, reverentiaeque pondus? et vos de me iudicium esse laturos, Auditores praestantissimi, qui ut civitatis huius nobiliora ornamenta exsistitis, ita nihil praeferre videmini, praeter unam humanitatem vestram, quo minus fortasse severos in me ego vos iudices verear, ac pertimescam? sive propriae sibi mens conscia mediocritatis, dicentis animum deiicit, igniculosque illos restinguit, sine quibus nihil unquam fit magnum, ut divinus aiebat Plato; illud de me vobis fateri ingenue possum: si qua olim ingenii vis, si qua dicendi copia exstitit doctorum hominum non omnino patientiâ indigna, haec omnia, quâ nescio fatali plurium annorum desuetudine, otioque non exaruisse dumtaxat, sed et penitus depasta, atque absumpta omnino esse. Sin autem diligentis illius praeparationis ratio habeatur, quam Tullius in omnibus negotiis, antequam adgrediare, adhibendam praecipit; hoc ii, quorum interest, testari et possunt, et debent, me vix paucis abhinc diebus, praeter expectationem tum omnium, tum meam, ad hanc

honestissimam aeque, ac laboriosissimam provinciam ante destinatum, quam id ego scire et possem, et cuperem, et deberem. Quibus omnibus si illud addatur, me, cum primum vobis dicere contigit, de humaniorum literarum ante omnia utilitate, praestantia, et iucunditate disserere proposuisse, in quali ego hodie, quantoque verser periculo, ipsi per vos et perspicere, et iudicare facile potestis. At quando fieri aliter non potest, et ad has angustias nos coniecerunt tum rerum inopinatus plane eventus, tum consuetudinis receptissimae leges sacerrimae, agamus alacri, lubentique animo, caussamque istam, etsi minus sine dubio pro dignitate parati, at certe animati suscipiamus, quandoquidem ut ille ait:

In magnis et voluisse sat est.

Atque ad harum quidem artium, quas mihi asserendas proposui, utilitatem quod attinet, ea ex ipsa hominis conditione, naturaque, nisi me fallit animus, profluere ante omnia videtur. Quandoquidem illa eadem natura, quae rationem homini prae caeteris animantibus tribuit, qua res

percipere valet, sociare similia, dissimilia secernere, qua uno verbo intelligit, et alia ex aliis recto ordine deducit; haec, inquam, natura ipsa hominem fecit hominum appetentem, ut societati, communioni, amicitiae, qua vitae necessitate, qua animi proclivitate, cum similibus sui perpetuo inhiet, quidquid contra philosophentur quidam, quos quoniam hominem homini natura infensum, aut agrestem, ac solitarium volunt, μισανθρώπους verius dixeris, quam φιλοσόφους. Atque hac profecto una de caussa hominem unum, prae caeteris animantibus, sermonis facultate, organisque ad id aptissimis natura ipsa donatum videmus, quod quemadmodum sine hominibus consistere humana societas non potest, ita neque recte iniri, neque diu inita durare sine sermonis usu valet. Quae cum ita sint, ecquis demum non intelligit, qua ratione sermonis usus necessarius omnino est, ut homines et se mutuo intelligant, et in unum veluti corpus coalescant, eadem ipsa rectum sermonis usum, quam humaniores literae praeferunt, esse apprime utilem, atque idoneum, quo recte inter se communicare homines, feliciterque vivere valeant?

Nam et cogitationes suas alteri ita tradere, ut intelligat utcunque, quod dicitur; neque quid magnum in primis in se est, cum id praestet unusquisque de faece proletaria; neque, quod longe maius est, iis adsequendis, qui sermonis humani fines sunt praestituti, magnopere aptum, et consentaneum. Quod ut ante oculos ponamus, ecquis dicet, eum sermonis humani finem adamussim attingere, qui ut alteri suadeat, quod ipse velit, vel secus, aut opportunis ad id efficiendum verbis destituatur, aut illorum modum, dispositionemque, adiunctis descriptionibus, sententiis, aliisque ad affectus praecipue permovendos necessariis, ignoret? Nam verborum proprietatem usu, atque exercitatione, sententiarum autem, troporumque modum ad ciendos in primis affectus, naturâ duce, potissimum doceri, neque ignorare possumus, neque tacere volumus; unde et homines passim videas nullo liberalium artium, aut vix levi odore imbutos, cogitationes suas nitide tradere, et ad eas, quas aut ipsi in se experiuntur, aut in aliis excitandas volunt, adfectiones ingerendas, idoneos omnino reperiri, ut ad id nati unice videantur.

Verum quid iis faciendum in prim's, qui talibus a naturâ praesidiis destituuntur? Hi-ne inter sermone utentes silebunt, aut omnia perturbabunt inficeta oratione, et non magis, ut claudi baculo clauditatem suam, ita ipsi arte naturae inopiam iuvabunt? Deinde et ii ipsi, quibus natura facilis, proclivisque fuit, si tantum illius ope valent, ut etiam sine arte alios, quo volunt, trahant, rapiantque; ecquid demum non erunt effecturi, si ad hunc eumdem effectum artis subsidio roborentur? ars siquidem, ut est in proverbio positum, dux certior est, quam natura. Praeterea, quod hi tantum naturâ pollent, ut cogitationes suas ita disponere oratione norint, ut evincant, quod volunt, ideo-ne inutilia ipsis, et non plane opportuna studia haec censenda erunt? Quasi vero qui aliquam a natura proclivitatem, facilitatemque ad canendum, ad saltandum, aut ad aliud quodvis, prae caeteris, sortitus sit, idcirco ei musices, saltatoriae, aut alterius, quam mavis artem, sint regulae ac subsidia contemnenda; et non potius hac eâdem de caussâ, diligentia exquisitiore, summoque studio conquirenda, sectanda, addiscenda! naturae si-

quidem in nobis est incipere, et quo movendum sit, innuere; artis autem dirigere, et ad summum in omnibus perducere. Videtis, Adolescentes optimi, quam vobis sit necessaria ingenuarum artium eruditio, ac familiaritas, quae in singulis quoque vitae, societatisque humanae usibus, atque officiis tam insignem locum habet.

Facultates enim reliquas, disciplinasque, praecipue autem Philosophiam, esse homini tum pro civili, tum pro domestica vita ducenda necessaria, nemo unus inficias ibit. Imo et has artes ipsas, quas modo commendamus, Philosophiae ante omnia indigere praesidio, ne vanae sint, et steriles, non ultro tantum concedimus volenti, sed etsi quis aliter sentiret, contra parati essemus defendere. Nimirum ii nos sumus, quibus illud Homeri ante omnia ob oculos est, qui, ut veram, solidamque probaret Vlissis facundiam, eam nunquam ex ore, sed e pectore semper, idest ex animo gravissimis sapientiae praeceptis, institutisque cumulatissime imbuto fluere aiebat. Verum illud mihi concedendum facile puto, non in quolibet humanae vitae usu singulas quasque, aut Philosophiae, aut aliarum disciplinarum par-

tes locum semper habere posse. Nam neque cum rudibus hominibus de caelestium corporum magnitudine, motu, figura disputare serio possumus: nec ubique sunt aut rerum naturalium causae, atque effecta inquirenda; aut arcana Matheseos patefacienda, aut explicanda Historiae, Politices, Oeconomiae scita, praecepta, monita, et quidvis aliud. At sine dubio sive tibi de naturali, aut supernaturali Theologia cum viris eruditis est communicandum, sive de rebus ad humanos vitae usus, utilitatesque pertinentibus, cum familiaribus est colloquendum, sive de re quacumque aut sacra, aut profana, aut publica, aut privata, sive domi, sive foro, sive ioco, sive serio est tibi dicendum, quotus quisque ille est, qui ignorat, non verba tantum, et sonos in promptu esse debere ad id explicandum, quod velis, sed multo magis verborum modum, sententiarum, troporumque usum ad id evincendum, quod est oratione propositum? O praeclaram igitur ingenuarum artium laudem, quarum tam late patet utilitas, atque necessitas, quam longe lateque vagantur et vitae humanae officia, et humani sermonis usus!

Quid iis artibus utilius esse potest, quibus qui exculti, ac perpoliti sunt, de re quacunque, sive gravi, sive levi, sive apud amicos, et familiares, sive publice, et coram iudice, suadendum aliquid, aut secus, aggrediuntur; sive quidvis audent, aut ad vitae necessitatem, aut ad animi oblectationem; grati ubique occurrunt, facile ab omnibus excipiuntur, et vix quidquam assequi dicendo conantur, quod non aut ex toto, aut ex parte, aut semper, aut fere, non extorquere blande videantur? Quid dicam de egregia illa utilitate, praeparationeque, quam ad scientias universas rite comparandas ipsae afferunt? Iam enim omnium ore protritum est, omniumque etiam et hominum, et seculorum experientia confirmatum, eo homines ad facultates quasque recte addiscendas aptiores, si caetera sint paria, reperiri, quo felicius ab artium humanarum eruditione, ac familiaritate viam suam auspicantur. Quid quod et hae eaedem artes eos, a quibus excoluntur diligenter, ipsae excolunt vicissim, ut non tantum verbo, et oratione, sed et multo magis vita, et moribus nitidi, elegantesque adpareant? Vnde et Ovidius, idoneus sane huius rei aestimatorait:

Ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse rudes.

Quis igitur in haec tam praeclara, atque utilia vitae humanae praesidia, atque ornamenta sibi comparanda, si modo inter homines homo, non ut stipes aliquis, aut truncus, versari exoptet, non animum, non vires, non nervos, non ingenium denique omne intendet? Neque me reprehendendum putetis, quasi hominem dixerim, qui nisi ingenuarum sibi artium praesidium conquisierit, hic ita fere sit inter homines homo computandus, ut inter viventes statua aliqua, aut simulacrum. Nam quid putatis, artes istas modo *ingenuas*, modo *liberales*, modo *humanas* appellari, nisi quod cum hominem instituant, efformentque pro universis, et singulis humanae societatis usibus, tum hominem decent prae caeteris, quâ liber, uno verbo, quâ homo est? Quamobrem scite admodum, prudenterque Horatius nutriculam inducit, quae post mundum victum, ac bonam corporis valetudinem, non aliud alumno suo vovet, quam

. . . *Ut sapere et fari possit, quae sentiat.*

Nimirum id unum est, quo homo non bruta tantum animantia antecellit, sed et inter mortales caeteros etiam excellere, et praestare potest! Sunt igitur artes hae homini, qua homo est, et utiles plane, et necessariae, atque hac solum de caussa, etiamsi caetera deessent, omni studio, ac labore essent a quovis conquirendae.

Quid vero, quod admirabili huic utilitati incredibilem habent iucunditatem cum praestantia singulari coniunctam? Nam quid iis facultatibus aut iucundius, aut praestantius esse potest, quarum ope, adiutricibusque, ut ita dicam, manibus, reliquae disciplinae omnes, et ut praestantiores eniteant, et ut iucundae, aut saltem minus asperae videantur, indigent? Nam cum harum defectu inepti Oratores exsistant, Philosophi barbari, in omni denique humana vita frigidi omnes, atque iniucundi videantur, tum illarum beneficio praeclari Oratores in dicendo, mundi Philosophi in disputando, elegantes demum, ac culti homines eminent in hominum societate, et coniunctione Hinc neminem fere unum invenire est, sive ad antiquiora te, sive ad recentiora haec nostra tempora converteris,

cuius scripta, lucubrationesque cum laude, et voluptate doctorum hominum manibus atteruntur, qui in quacunque sibi facultate nomen sit adeptus, non artes istas et egregie norit, et ad usum fideliter non advocarit. Anne divinus quemquam latere Plato potest, de cuius eloquendi vi, et copia, et sublimitate Tullius testatum reliquit, Iovem ipsum, si Graece loqui vellet, non alio, quam Platonis sermone usurum? Anne Aristotelem quis ignorat, cuius ubertatem magnificentissimam idem Cicero fluvio confert auro fluenti? Quid Theophrastum commemorem, cui a dicendi divinitate nomen adscitum? Theophrastus enim Graece, si verbo verbum reddas, *divinus* quasi *locutor* sonat. Quid Lysiam dicam, Isocratem, Aeschinem, Demosthenem, Crassos, Hortensios, Polliones, Tullios, aliosque sexcentos tum a Graeca, tum a Latina vetustate selectos, quibus a singulari potissimum eloquendi vi immortalitas est asserta? Atque ut ad haec nostra tempora veniam, quae viris cuiuscunque generis disertissimis abundant, quosque longum esset, atque invidiosum enumerare, nonne in universum adfirmate dicere possumus, illorum scri-

pla, prae caeteris, inter eruditos hominum versari manus, qui soliditati doctrinae ornatam, nitidamque adiunxere dictionem, cum interim, quae hoc ornatu carent, etsi fortasse aliis abundent, inter pulverem, atque araneas consenescant, blattis, et tineis absumenda? Nimirum ut cibum, quantumvis licet solidae substantiae, saporisque exquisiti, si tamen rudi mensa, vasisque graveolentibus sit appositus, facile fastidit stomachus nec satur, nec delicatulus, quem tamen munda in tabula, nec sordida manu exhibitum, libenter appetat vel repletissimus quisque: ita veritates graviores, sive ad contemplationem, sive ad actionem pertinentes, oratione barbara, atque insuavi expositae, a sui maiestate vel ipsa ingenia robustiora deterrere aliquando queant, quibus tamen concinno, elegantique sermone convestitis vel ingenia leviora assuescere tandem possunt!

Nihil igitur, Adolescentes optimi, impedimento esse poterit, quo minus, ut par est, parati, animatique haec studia suscipiatis: imo nihil deest, quo quantum fieri potest, in his iisdem excolendis et accendamini, et exardescatis. Nam sive

utilitas in pretio est; quid iis utilius, quae hominem et pro disciplinis omnibus recte comparandis instituunt, et pro totius vitae, societatisque humanae usibus, atque officiis conformant? Sive praestantia desideratur; ecquid iis praestantius, quibus caeterae omnes facultates, ut bono in lumine collocentur, indigent? Sive allicit nonnihil iucunditas; quid iis dulcius, et iucundius, quarum dulcedine, atque amoenitate nihil est tam asperum, atque ingratum, quod non mitescere, et efflorere quodammodo possit? sive exemplum confirmat, stimulosque addit; habetis omnium temporum, ac seculorum viros praeclarissimos, qui haec eadem studia diligentissime coluere. Sive demum docentis in vos et caritas, et diligentia nonnihil iuvare possit; equidem vobis polliceor, quantum in me virium, atque ingenii est, id totum in vestri gratiam, atque emolumentum aequo, lubentique animo consecratum iri, utpote qui in vobis posthac, qualis ego sim, quantusque haberi ab aliis debeam, sim suspecturus.

DISCORSO ACCADEMICO

SULLE BELLE LETTERE.

Per l'apertura della scuola di lingua latina nel Collegio Medico-Cerusico 1812.

Giovani valorosi: al vedere in procinto di ragionare del suo mestiere un uomo destinatovi dalle provvide cure del Governo a Professore di belle lettere in questo immortal Liceo delle scienze più necessarie al sollievo della infelice umanità; la prima idea che si presenterà per avventura al vostro spirito, sarà quella di uno che intenda mettervi a vendita la propria professione, caricandola di un prezzo esagerato. Io non so quale impressione possa aver formata sul vostro cuore la mia non so quanto vantaggiosa fisonomìa. Ma se per una parte posso io assicurare, non essere certamente l'affare delle belle lettere il primo o l'unico di quelli, ne'quali mi è convenuto di logorare i giorni miei qualunque; debbo dirvi per l'altra con tutta la franchezza

della modestia, che Natura per nessuna cosa mi ha tagliato meno, che per la impostura e per la ciarlataneria; e che quindi se per un Professore delle *arti ingenue* non si richiedesse di più della ingenuità del carattere di chi le professa, ben pochi pari avrei io a contare nella mia professione. Ma lasciamo al tempo e alla vostra particolare sperienza a decidere della ingenuità del Professore, e vedete per un momento, se egli vi parla delle arti ingenue, almeno con tutta la ingenuità della professione.

Qual si è l'oggetto delle belle arti? Quello di esprimere le proprie idee di una maniera atta a produrre i sentimenti che si vogliono sullo spirito di coloro, a cui son dirette. Ecco dunque una facoltà tutto propria del solo uomo, e senza cui egli non è più uomo di quello, che lo è una statua rappresentante l'uomo. Intenda pur egli e sappia tutto quello che vuole, e possa volere quanto concepir si può di meglio e più pregevole; fino a che mancherà dell'importante segreto di comunicarsi a'suoi simili di una maniera idonea al conseguimento degli oggetti propostisi, tutto il suo intendere e sapere non si valuterà

da più di un tesoro nascosto inutile a chi lo possiede, egualmente che a coloro che si credono nel diritto di parteciparne.

Avendo di fatti la natura destinato l'uomo a rappresentare nel gran Teatro del Mondo la parte di un essere veramente socievole, non contenta di averlo fornito di facoltà intellettuali, onde arricchirsi delle cognizioni a ciò necessarie, il dotò eziandio dell' organo della parola, col cui mezzo entrar potesse agevolmente in comunicazione co' suoi simili per tutto ciò che riguarda in qualunque senso gl' interessi della umana società. L'organo quindi della parola, non già il materiale e meccanico, ma quello bensì della Filosofia e della Ragione, è senza dubbio la prima e più importante delle occupazioni dell' uomo, in quanto socievole, che è quanto dire, dell' uomo inquanto uomo.

Orazio, a cui il pratico impegno di una Filosofia tutto senso non impedì l' esser Filosofo della più profonda analisi, mostrò di aver bene valutato il peso di sì grande verità, allor quando restrinse tutti i voti della Balia affettuosa pe 'l suo tenero allievo a' seguenti: *buona costituzione*

di corpo: *sufficienza dell'occorrente per la conservazione della medesima*: e finalmente, *ut sapere, et fari possit, quae sentiat.* Oh! sentimento veramente divino, più che ammirabile, e che in poche pennellate adombra il vero quadro dell'uomo degno del suo nome e della sua definizione! *Sale in zucca, e buona parola in bocca. Sapere, et fari posse, quae sentias.* Il saggio Omero ben prima del nostro Venosino, additata ci aveva la stessa verità sotto i simboli di una Filosofia tutto poetica, cioè fantastica, e con ciò più atta a ferire i nostri sensi. Inteso egli a proporci il modello del *vero eloquente* nella persona dell'accorto Ulisse, ne fa sboccare costantemente la facondia, anzi che dal labbro, dal petto e dal cuore.

Tale si è per appunto la vera eloquenza, ornatissimi Giovani, a cui è intenzione del vigilantissimo Governo dirigere i vostri passi. Non consiste già essa in un solfeggiare armonico, se è lecito lo spiegarsi così, di quattro studiate parolette, tutto il cui bello và in fine a disciogliersi, senza più, in una frivola, quantunque dolce acustica sensazione. Questa occupazione ta-

pina si è per buona sorte abbandonata da gran tempo ai garruli declamatori, e a' pedanti ridicoli. *Scribendi recte sapere est et principium, et fons.* Le buone cognizioni, le utili scoverte, la conoscenza dell'uomo e de' suoi costumi, sono le vere sorgenti, e le basi sicure del ben pensare, e quindi dello scriver bene, e del ben parlare, che da esso necessariamente dipendono. Ma il mettere intanto a giusto profitto siffatti preziosi capitali per ciò che riguarda i nostri rapporti co' nostri simili a noi legati per mezzo dell'istrumento della voce, questo tocca alla innocente magìa delle sole belle arti, che per una antonomastica proprietà si hanno aggiudicato nel vocabolario universale il titolo troppo meritato di *umane* ancora.

Or il primo libro, ove attignere i principii di questa professione importante, è senza dubbio l'originale infallibile della natura, che le arti tutte appoggiate alla imitazione sono nell'obbligo di incessantemente studiare, e di ricopiare per quanto si può. Quanto si è più di ogni altra cosa potentemente penetrato di quello, di cui si vuole ragionare e scrivere, non si mancherà giammai,

a parola del gran Maestro dell'arte, nè di grata facondia, nè di ordine luminoso di pensieri e parole ad essi corrispondenti. Ma lusingarsi di tutte in se stesso poter isperimentare, sen'altra fatica, le impressioni felici della natura in proporzione degl'infiniti casi ed incontri possibili; e queste sempre le più corte ed accertate, per correre a'propostisi fini, senza deviazione alcuna, che ne allontani, o ritardi almeno il bramato conseguimento: sarebbe un presumere di se troppo vantaggiosamente, e'l dare nel tempo stesso una mentita alla saggia provvidenza, la quale, chi più chi meno ci ha voluti tutti relativamente e istruiti ed ignoranti, a fine di allacciar più forte il nodo della umana società colla molla del bisogno reciproco. Risovvengaci, per dir tutto in poco, che

Non omnia possumus omnes.

Ecco di quà il bisogno imperioso di giovarci, siccome per le altre scienze e facoltà, così per le belle arti in particolare, degli eccellenti originali Latini. Formati essi sul genio degl'incomparabili Greci modelli, siccome questi su quello degli Orientali, ci hanno tramandato il più bello

e squisito di tutti i secoli, e di tutte le nazioni più colte. E non solo per ciò che riguarda la maniera più acconcia del dire, ma per tutto quello altresì che in qualunque modo aver può connessione e rappoto coll' impero illimitato delle umane cognizioni e divine. Vi è di fatto argomento di letteratura sagro o profano, storico o politico, dommaco o morale, antico o moderno, di necessità o di lusso, di genio o di polso, che non siesi trattato dagli antichi, o che non si vegga trattare tutto giorno da' più recenti Scrittori di tutte le nazioni e di tutto il mondo colle grazie originali ed inimitabili di qnesta lingua per ogni senso ecumenica ed immortale?

Che la lingua del Lazio sia stata la lingua di quasi il Mondo tutto conosciuto, quando l'Impero romano dava la sua Legge all' Orbe conosciuto, non deve recarci punto maraviglia. Chi dà le sue leggi a' popoli, deve colle sue leggi comunicar loro o presto o tardi la sua lingua ancora. Ma che distrutto l'Impero Romano dal ferro dei Barbari, la lingua del Lazio, ad onta della forza de' secoli, e degli infiniti ostacoli, che avrebbero dovuto portarne via fin le prime vestigia,

siasi conservata fino a' nostri tempi; che il destino della letteratura in generale siasi creduto in tutti i tempi e da tutte le persone di buon senso, legato indissolubilmente con quello della lingua del Lazio; che questo savio giudizio non siasi smentito giammai alla pruova senza replica del fatto e della sperienza: questo solo, o Signori, quando mancasse tutt'altro, decider deve perentoriamente della necessità indispensabile del merito trascendente della Lingua, per lo studio della quale è piaciuto al Governo destinarmi a vostra guida.

Quando si concepì l'ardito disegno di sgombrare dall'Orizzonte Europeo, e dalla nostra Italia in particolare, le nugole inveterate della barbarie e della ignoranza, sapete voi, a che si diressero le prime cure di un Dante, di un Boccaccio, di un Petrarca, più di ogn'altro, e di tanti altri valentuomini di tutta l'Europa occupati dal XIII. secolo in poi di così glorioso progetto? A disotterrare per appunto e ritornare in vita i Classici Latini, a restituirne le depravate lezioni, a moltiplicarne gli esemplari, a ricopiarne lo spirito e le grazie, a metterli in

credito ed in uso da per tutto, senza risparmiarla nè a spesa nè a fatica. Erano ben essi persuasi, che questi modelli sublimi erano i soli, che svegliar potessero lo spento entusiasmo per le scienze, rettificare le nostre idee, abolire i nostri pregiudizii, formare il vero gusto, aprire in somma un nuovo campo alle cognizioni umane, di qualunque genere e natura esser si potessero. E se essi in così pensare ed operare diedero nel giusto segno, lo sa il dotto mondo; non dovete ignorarlo Voi; e quando tutti *in solidum* vogliamo esser sinceri, l'immortal fulgore del Secol nostro, e di quei tutti che l'han preceduto, siccome l'Aurora il giorno, è dovuto a' sforzi gloriosi di questi uomini divini, e per questo appunto tali.

Eh! sì, giovani amatissimi: quando dalla seria lettura de' Classici Latini non si avesse a ricavare di più del solo genio abituale d'istitichire, a dir così, su di una semplice parola, pesandone la proprietà, scandagliandone la forza, assicurandone la purezza, equilibrandone la giacitura; sarebbe questo un capitale di così indifferente apparecchio pe'l resto delle scienze tutte da apprendere? Io non debbo entrare ne'

sagrarii della vostra professione in particolare. Tocca questo ai vostri egregii Professori. Ardisco non dimeno assicurarvi in loro nome, senza pericolo di essere smentito, che vi ha ben pochi Classici moderni, che non abbiano trattato in questa lingua di qualsiasi ramo della Medica professione; per nulla dire del vostro antico Ippocrate Latino, voglio dire del famoso Cornelio Celso, che non potrete giammai ammirare ed imitare abbastanza. Ma una sola riflessione generale, e cesso di abusarmi di vantaggio della vostra sofferenza.

Vi ha Scrittore moderno qualunque, e di qualunque siesi argomento e linguaggio, che si nomini con venerazione, che si cerchi con impegno, che si legga con piacere, che si consigli con profitto, le cui opere in una parola si credano aver giusto titolo alla immortalità, che non siasi prima distinto pe 'l genio delle belle arti, e per lo studio degli antichi Autori Latini? E Medici e Leggisti, e Filosofi e Teologi, e Storici ed Antiquarii, e Fisici e Politici, e tutti in una parola si veggono col *caeteris paribus* primeggiare ciascuno nelle rispettive categorie, con quella pro-

porzione e misura, onde seppero fra gli altri primeggiare in fatto di belle arti e scienze amene. Questa verità era troppo interessante, per isfuggire le accorte vedute del saggio Governo, che ci guida al nostro meglio: e voi sareste ben poco degni delle sue paterne ed illuminate premure, ove manchereste di metter seriamente a profitto i mezzi opportuni, ch'esso si fa un sagro dovere di presentarvi per quest'oggetto.

FINIS.

ERR.			CORR.
Pag. 3	v. 5	et Deus	Deus
Pag. 14	v. ult.	Guis	Quis
Pag. 164	v. 15	rebus	rebus sint

ELENCO

delle Opere finora pubblicate dall' Autore

RAIMONDO GUARINI.

---

1 Ricerche sull' antica Città di Eclano con rami, e Dissertazioni aggiunte. In-4 . . 3 00
2 Illustrazione dell' antica Campagna Taurasina con Lettera di risposta al Can. La Vecchia. In-4 . . . . 0 70
3 *In veter. Monum. nonnulla Commentaria.* Sono questi Commentarii 18 con rami, e risposte apologetiche. Tom. 2 in-8. . 3 40
4 Fasti IIvirali di Pompei. In-8. . . . 0 60
5 Valore della cifra *Sexs* in Marmo Pompejano con Dissertazione su' Consoli voluti Municipali, e Lettere due di risposta. 0 30
6 Illustrazione Apologetica del Marmo Puteolano *a Colonia deducta* con due Dissertazioni, l'una sul *Calcidico*, l'altra sul picciolo Caligula di bronzo di ritorno alle Legioni Germaniche. In-8 . . . 0 50
7 Congettura su di un Intonaco di Pompei rappresentante Arianna, e Bacco, con due Lettere di risposta. In-4. . . . 0 30

8 Alcuni Suggelli antichi spiegati con altra Dissertazione aggiunta. In-8 . . . . o 40
9 *Prosodiae Latin. fundamenta cum Parnasso Lapidario.* In-8 grande . . . o 50
10 *Dialecticae Institutiones* . . . . . o 25
11 Analisi di alcune nozioni preliminari al diritto di natura. Confutazione del Sig. Eineccio, ed altri . . . . o 30
12 Analisi, e Costruzione gramaticale . o 12
13 *In Cippum Osco-Abellanum. Divinatio.* In 8 . . . . o 40
14 Alcuni Tegoli spiegati del Museo Borbonico. In-8 . . . . o 10
15 Saggio di Discorsi Panegirici, e Morali. In-8 . . . . o 30
16 Se il Religioso secolarizzato possa acquistare, e disporre dell'acquistato. In-8 . o 10
17 Effetti fisici dell'uso del pane, e vino consagrato. In 8. . . . . o 10
18 Cenno biografico pel Cav. Zingarelli con Iscrizioni . . . . o 10
19 *Lithopolemos*, seu *Historiola abortus Commentar. in Monum. literata Mus. Borbon.* In-8. . . . . o 10
20 Origine del culto di S. M. dell'Arco. o 06
21 *Musarum. Otia.* . . . . o 45
22 In Epigram. quaed. Osca Exercit. . o 20
23 In Com. V. R. G. excurs. criticus Auctoris . . . . o 20

